






<36636819890015

EMENDATIONES


LIVIANAE.

SCRIPSIT

GEORG. LUDOV. WALCHIUS D.,

GYMNASII BEROLINO - COLONIENSIS PROFESSOR.

BEROLINI, APUD G. C. NAUCKIUM. 1815.



PERILLUSTRI ET CELEBERRIMO

FRID. AUG. WOLFIO

VIRO

SUMMIS

IN UNIVERSAM ANTIQUITATEM ERUDITAM

MERITIS CONSPICUO

DE SE ET NOVA LIVII CURANDA EDITIONE
OPTIME MERITO MERITUROQUE

HAS PRIMITIAS LIVIANARUM DISQUISITIONUM

UT GRATI ANIMI PIGNUS EXSTARET

DEDICAVIT AUCTOR.

AUCTOR LECTORIBUS.

Hic liber eam potissimum ob causam a nobis et scriptus et editus est, ut nova Titi Livii editio, pluribus abhinc annis parari coepta, iis indicatur, quorum interfore videtur; et, si dignum censeatur editoris consilium suffragio eruditorum, ut adhortatione eorum et auxilio iuvetur. Hanc rem constat ante duo prope secula unice egisse Latinarum literarum principem Io. Fr. Gronovium, cumque aemulatos Perizonium, Dukerum, Drakenborchium; quibus qui postea successerunt, non tantum praestiterunt, quantum sperari iubebat et decessorum praestantia et haec literarum lux, sed aliquanto etiam minus quam res postulabat. Quo lubentius suscepimus oblatam bene de literis merendi provinciam, nimirum illustrandi pro viribus et a maculis purgandi scriptorem, quibus magis etiam quam antea oratio eius inquinatur: eiusque operae hoc edidimus specimen, non veriti, ne tot antea delibandis rebus materia decrescat

Commentario nova proferendi, necessitasque iniuncta sit, dicta semel iterum proponendi.

Ceterum ne nimis extimescamus arduum et difficile opus, unica fecit praestantissimi Viri Fr. *Aug. Wolfii voluntas; cui, ex quo in hanc urbem vocati venimus, et alia multa debuimus, et quem in hac Livii edendi provincia praecipuum habuimus auctorem, suasorem, adiutorem. Cuius viri viridis aetas otiumque plane Scaligeranum sicut precamur ut porro sit et literis salutare, et huic literarum Universitati, ita in grata eius nominis mentione, tamquam bono omine feliciter suscipiendae rei, laetissime acquiescimus.*

Scrib. Berolini IV. ante Cal. Ian. 1814.

EMENDATIONES

L I V I A N A E.

CAPUT PRIMUM.

Livianum scribendi genus adumbratum. Eius interpretes praestantiores. Quantum a diligentiore Polybii comparatione sperandum sit, aliquot locis emendatis vel explicatis ostenditur. Bellum indicere, denuntiare etiam, quid differant. Perversae rupes. Ex loco proficisci, ad locum paratus esse, cur non intellectum. Ad, apud, in, circa, πρός, περί ad significandam quietem in loco. Velleius defensus. Veritas laborat. Lucianus obiter et Polybius vindicati. Sallustius e Thucydide illustratus.

In T. Livii libris emendandis et illustrandis tot praestantium virorum acumen elaboravit, ut rem actam agere videatur, qui novam curam eo conferat. Ceterum si, non praesumpta opinione, sed ex re atque vero quae praestita sunt aestimabimus, plura incepta, aliqua absoluta, alia de integro et intentiore studio agenda, denique nullius dum opera effectum reperiemus, ut, quo progredi liceat, probabiliter constet. Ac de arte et

consilio scriptoris si quaeritur, quo primus (Romanorum iudicio) formam operis aequavit magnitudini Romanae, plures sunt, qui, quo loco censendus sit LIVIUS ad TACITI SALLUSTIIque praestantiam comparatus, se ignorare fateantur; alios mirifice ea exprobrantes audias cultissimo scriptori, quae obscura vixque explicabilia in prioribus libris reliquit iactura posteriorum: unde quot diversa prodita sint et de singulis locis et de integris partibus iudicia, in tanta legentium et scribentium varietate, longum est commemorare. Nam et de fide scriptoris, cui haud levis intercedit et cum aliis et cum semet ipso dissensio, quotusquisque fuit, qui, excussis sedulo Historicorum fragmentis et POLYBIO, DIONYSIO etc. recteque aestimata rhetorica Veterum, satis integrum iudicium ferret? Longius patet critica et grammatica scriptoris explicatio; quatenus haec, pendens ab interiore linguae cognitione et quadam divinandi facultate, proprie censetur Critici munus. Quo in genere quantum, post felices superiorum interpretum labores, relictum sit bene merendi materiae, quantumque nunc mutantium dubitantiumque editorum temeritas cogat legentem in dumetis criticis haerere, sciunt et alii, et maxime quibus hic scriptor aliis explicandus traditur.

Ac sane ea est Livii oratio, quae acumen exerceat etiam doctioris interpretis. Nam cum

spreta Sallustii *) brevitate proprium ac novum sibi finxisset scribendi genus, quod insigne *μεγαλοφωνίᾳ* nec praeteriret audientem, et teneret etiam relegentem; cumque constans sibimetipsi summo Romanorum historico dissimilis sed par sive immortalem illius velocitatem diversis virtutibus aequasse visus esset antiquis iam existimatoribus; facile intelligas, ad alia eum, quam quae vulgus putat, bene dicendi praecepta manum artemque direxisse. Neque reperias scriptorem, qui adsuetum Tulliana concinnitate lectorem deludat frequentius; cuius in tanta dulcedine maior sit orationis durities, periodorum vel tortuoso ambitu (saepe etiam imperfecto), vel iuncturae quaesita negligentia; in quo offendat crebrior in similiter cadentibus verbis, vel bis, ter, quater in brevi enuntiatione repetitis incuria, (quae quanta fuerit coniectandi materies no-

*) Et in sententiis et in numeris a Thucydide pendentis. De sententiis satis constat, et quid in his carpserit Livius; de numeris colligas ex Fragm. p. 935. Cort. *Ex quo tempore maiorum opes non paulatim ut antea, sed torrentis modo praecipitati: adeo iuventus luxu et avaritia corrupta est, uti merito dicatur genitos esse qui neque ipsi res familiares habere possent, neque alios pati.* Apparet in mente habuisse Thucydidis verba 1, 70. *Ὥστε εἴ τις αὐτοὺς ξυνελὼν φαίη πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν, μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν, ὀρθῶς ἂν εἴποι.* Sed plura notavimus huius generis exempla alio loco proferenda.

ta res est;) in quo denique tot e vetustate adsumpta, vel ex imitatione Graecorum nove et cum periculo dicta insolens quid et peregrinum sonent. *) Quae si in unum contracta spectabimus, mira videbitur scriptoris negligentia, qui loqui cum vulgo noluerit; sin suo quaeque loco et sparsa per totum historiae corpus spectabimus, et his effectum intelligemus, ut cuique rei suum sit scribendi genus, ut summissa in levioribus, et prope quotidianae similis, altior exsurgat oratio et incitatior feratur, ubi res verbis exaequandae sunt, mire nos affectos sentiemus, denique hoc artificio optimis simillimum assecutum esse fatebimur Patavinum historicum, ut lactea eius ubertas numquam satiet lectorem.

Tot scriptoris proprietates, quot vicissim interpretis requirant virtutes, et quam longa opus sit familiaritate ad penitus cognoscendas, ne quid fallat profuturum in ulla re vel obfuturum, vel ex his licet diiudicari; et luculentum dedit exemplum Io. Fr. Gronovius. Cui viro

---

*) Peregrinitatem in Livii oratione dudum agnovit idoneus Latinitatis arbiter Iac. Facciolatus (V. Epist. Liv. Tom. VII. p. 244.) Nam aliorum, etsi eruditissimorum virorum, qui suomet sibi scribendi genere non vindicarunt ius sententiae dicendae, minus valet auctoritas. Sed vide V. C. Wyttenbachium in B. C. III, 3. p. 27.

hoc nomine quem comparemus, habemus neminem; si modo nimium brevitatis amorem vincere, nec sui dissimilem interdum efficere voluisset Livii orationem! Tanta alibi eius apparet et in detegendis fraudibus sagacitas, et in emendandis felicitas, intima nixa antiquitatis et linguae scientia, cuius cognitionem ecquis fuit post eum qui longius proferret? Has eximias virtutes cum adiuvarent praestantium Codd. variae scripturae, imprimis in secunda decade egregii Cod. Puteani, quantum unius viri operâ redundavit lucis et medelae Livio, haud scio an nulli redundarit Veterum a recentiore suo editore. Gronovii solertiam, ubi defecerat, feliciter aemulati sunt I. Perizonius et C. A. Dukerus, pari criticae artis factitandae facultate uterque sua propria virtute conspicuus; Perizonius accuratissima historiae antiquae per minimas partes scientia, Dukerus iuris et antiquitatum Romanarum exquisita cognitione posteris commendati; quorum curis Drakenborchius utilissimam in congerendis Codd. scripturis (non digerendis) operam, iudicandisque peritiam (fere Cortiano more), et omnino struendo apparatu critico adiunxit. A quorum laude quod longius remoti videntur, qui post eos et nostra aetate ad eundem scriptorem operam contulerunt, inde factum suspicere, quod relicta a Gronovio desi-

gnata et feliciter trita via, propriam et suam persequi maluerunt. *)

Ceterum cum huius scriptionis consilium sit, non detrectandis aliorum laudibus laudem quaerendi, sed expromendi pro virili novae vel emendationis vel explicationis aliquantum egregio scriptori, age, initium ducamus ab iis locis, quibus et olim et nuper frustra tentatis, vel plane praeteritis paratum est e POLYBIO auxilium.

MARCIUS et ATILIUS Romam reversi quum legatione renuncianda non alia re magis gloriati essent, quam quod, decepto per inducias et spem pacis Perseo, tempus suppeteret Romanis instruendi apparatus belli; magna pars Senatus summa haec ratione acta approbabat XLII, 47.

> *Veteres, et moris antiqui memores negabant se in ea legatione Romanas agnoscere artes, „Non per insidias et nocturna proelia, nec „simulatam fugam improvisosque ad incau„tum hostem reditus, nec ut astu magis quam „vera virtute gloriarentur, bella maiores ges-*

*) De qua non dicas, quod de Gronoviana, cum LUCIANO Q. H. C. S. Cap. XXXV. *Εὐμαρέστερον τελέσειεν ἄχρι καὶ πρὸς τὸν σκοπόν.* Quae verba cum non feliciter tentaret GESNERUS, mirum est fugisse virum doctum integrum ea efficere Trochaicum octonarium catalecticum (si modo dactylum admiseris in tertia sede.) Sed ipsa dictio poetam sapit.

„*sisse: indicere prius quam gerere solitos bel-*
„*la, denuntiare* ETIAM, INTERDUM *locum finire*
„*in quo dimicaturi essent.*"

Complura in his sunt, quae, quo nunc circumferuntur modo, nemo doctior credat a Livio profecta: adeo dispar oratoriae eius artis ingenium (ne dicam prudentiae) manifesto produnt. Ac primum, cui non mirum accidit *indicere solitos bella* DENUNTIARE *etiam?* Quem tandem respicit *denuntiandi* morem, quasi maius quiddam et amplius *indicendi* consuetudine? An forte morem *repetendi res*, ut dixisse videri possit „soli-
„tos esse Romanos etiam praemonere de bellis?" Atqui rerum repetitio disceptatio fuit de iure, et adeo non denuntiatio belli, ut ne ipsis quidem, qui repeterent res, constaret de bello. Quippe re iterum deliberata, et perpensis sedulo adversariorum postulatis, saepius ne indicebatur quidem bellum. Dionysius A. R. II, 72. Alia est verbi significatio, si disiungas a proprio *indicere.* Apud CICERONEM de Off. I, 11, 9. legitur: *Ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali Pop. Rom. iure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut* d e n u n t i a t u m *ante sit et indictum.* Quae verba accurate interpretatus est HEUSINGERUS „non quocumque modo denuntiatum
„sed etiam solemni ritu per fetiales indictum." Uti poterat Livio XXXVI, 3. *Ipsine utique regi*

Antiocho indiceretur bellum, an satis esset ad praesidium aliquod eius nuntiare? item XXXI, 8. imprimis XXI, 19. *Haec directa percunctatio et denuntiatio belli magis ex dignitate Pop. Rom. visa est, quam de foederum iure verbis disceptare.* An igitur dixerit prudentissimus vir: „Solitos esse Veteres non solum ritu so„lemni indicere bella, verum etiam, missis am„bagibus, quocumque modo denuntiare?" Gravius offendunt quae sequuntur verba. Ne dicam hoc ipsum INTERDUM *locum finire in quo dimicaturi essent* inepte esse laudantis; adeone oblitus fuit et veteris et recentioris moris laudator vetus, ut nesciret, pugnae locum fere semper esse definitum, si in aciem descenderent bellatores? Nimirum „locum in conspectu hostis „finire solitos, nullam occultae fraudis suspicio„nem relinquentes" exspectabamus, quo vel *nocturna* proelia legentem ducebant. Ut apud VIRGILIUM Aen. IX, 148:

Non armis mihi Volcani, non mille carinis
Est opus in Teucros; addant se protinus omnes
Etrusci socios: tenebras et inertia furta
Palladii, caesis summae custodibus arcis,
Ne timeant; nec equi caeca condemur in alvo.
Luce palam certum est igni circumdare muros.

(unde profecit CURTIUS IV, 13, 9.) apud TACITUM Ann. II, 88. et crebro apud alios. Iam

ubinam relicta conspiciatur gradatio oratoria, etiam hac depravationis foeditate ex verborum circumscriptione, ex ardore loquentis divinanda? Argumentorum, quae posuimus, perspicua erit vis, si, quomodo emendandus sit locus, exposuerimus. Legendum censemus:

> *Non per insidias et nocturna proelia, nec simulatam fugam improvisosque ad incautum hostem reditus, nec ut astu magis quam vera virtute gloriarentur, bella maiores gessisse: indicere prius quam gerere solitos bella, denuntiare* ACIEM, INTERDIU *locum finire in quo dimicaturi essent.*

Colorem Livianum facile agnosces ex XXVI, 3, 4. *Non se inopia commeatus, non in loca iniqua incaute deductum, non agmine inexplorato euntem insidiis circumventum. Vi aperta, armis, acie victum.* Lib. XXXVIII, 41, 6. *Quippe etsi iniquo loco proelio tamen iusto, acie aperta, collatis signis dimicandum erat.* De defectu copularum v. Gronov. ad II, 9, 6. III, 9, 4: de *interdiu* eiusque origine eundem ad XXIX, 14, 3. Ceterum quae fidem huic emendationi conciliabunt etiam apud eos, qui iudicium de corruptelis ex aliis suspendunt rebus quam sensus vi et efficacia, POLYBII sunt verba Histor. XIII, 3. Tom. III. p. 444. Schw., quae Livium respexisse et his et sequentibus verbis, admonitus quisque intelligat. Laudans ibi a pietate in bellis geren-

dis Veteres, *) *Οἱ μὲν γὰρ ἀρχαῖοι*, inquit, *πολύ τι τοῦ τοιούτου μέρους ἐκτὸς ἦσαν. Τοσοῦτον γὰρ ἀπηλλοτριῶντο τοῦ κακομηχανεῖν περὶ τοὺς φίλους χάριν τοῦ τῷ τοιούτῳ συναύξειν τὰς σφετέρας δυναστείας, ὥςτ᾽ οὐδὲ τοὺς πολεμίους ἡγοῦντο δι᾽ ἀπάτης νικᾶν· ὑπολαμβάνοντες οὐδὲν οὔτε λαμπρόν, οὐδὲ μὴν βέβαιον εἶναι τῶν κατορθωμάτων, ἐὰν μή τις ἐκ τοῦ προφανοῦς μαχόμενος ἡττήσῃ ταῖς ψυχαῖς τοὺς ἀντιταττομένους. Διὸ καὶ συνετίθεντο πρὸς σφᾶς, μήτε ἀδήλοις βέλεσι μήθ᾽ ἑκηβόλοις χρήσασθαι κατ᾽ ἀλλήλων· μόνην δὲ τὴν ἐκ χειρὸς καὶ συστάδην γιγνομένην μάχην ἀληθινὴν ὑπελάμβανον εἶναι κρίσιν πραγμάτων.* (Livius: *Interdum in praesens plus profici dolo quam virtute: sed eius demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte neque casu, sed collatis cominus viribus, iusto ac pio bello esse superatum.*) Iam pergit: *Ἡι καὶ τοὺς ΠΟΛΕΜΟΥΣ ἀλλήλοις προὔλεγον, καὶ τὰς ΜΑΧΑΣ ὅτε προθοῖντο διακινδυνεύειν, καὶ τοὺς ΤΟΠΟΥΣ, εἰς οὓς μέλλοιεν*

---

*) Sequimur verissimam Schweighaeuseri V. C. emendationem *ἀρχαῖοι*. Antea legebatur *Ἀχαιοί*. Sed expunximus in seqq. *χάριν τοῦ τῷ τοιούτῳ συναύξειν* etc. quod addidit e coniectura *τρόπῳ*. Thucyd. I, 76: *Οὐδ᾽ αὖ πρῶτοι τοῦ τοιούτου ὑπάρξαντες.* Lucianus Q. H. C. S. Cap. I. *Αἰτίαν δέ μοι δοκεῖ τοῦ τοιούτου παρασχεῖν Ἀρχέλαος ὁ τραγῳδός.* Idem *Herod.* Cap. I. *Τὸ μὲν οὖν περινοστοῦντα νῦν μὲν Ἀθηναίοις νῦν δὲ Κορινθίοις ἀναγιγνώσκειν . . ἐργῶδες καὶ μακρὸν ἡγεῖτο εἶναι, καὶ τριβὴν οὐ μικρὰν ἐν τῷ τοιούτῳ ἔσεσθαι.*

ἐξιέναι παραταξάμενοι. Νῦν δὲ καὶ φαύλου φασὶν εἶναι στρατηγοῦ τὸ ΠΡΟΦΑΝΩΣ (interdiu) *τι πράττειν τῶν πολεμικῶν.* Quam sententiam cur adumbraverit Livius ratio intelligitur, cum statim adiungat: *Βραχὺ δέ τι λείπεται παρὰ Ῥωμαίοις ἴχνος ἔτι τῆς ἀρχαίας αἱρέσεως περὶ τὰ πολεμικά. Καὶ γὰρ προλέγουσι τοὺς πολέμους, καὶ ταῖς ἐνέδραις σπανίως χρῶνται, καὶ τὴν μάχην ἐκ χειρὸς ποιοῦνται καὶ συστάδην.* Ceterum meminerimus Polybium haec scripsisse vix quadraginta annis post, quam acta illa a senioribus in senatu. A quorum parte si quis stetisse existimet Catonem Censorium, (cuius proelii denuntiationem habes XXXIV, 29, 6. *Si utique bellum placeat diem locumque* (Celtiberi) *constituant, ubi secum armis decernant;*) cum plane referat antiqui moris studium ingenium viri, non repugno.

Insignis est Livii locus XXI, 33. ubi transitum describit Hannibalis per Alpes; ceterum adeo is depravatus, ut neque de sensu neque de verborum scriptura cuiquam probabili modo constet. Quo satius erit talem rationem inire, quae, cum ipsa se tueatur verisimilitudine aliqua, fide probati scriptoris nitatur.

Postquam Hannibal exclusus a transitu per saltum, tumulos hostium, interdiu tantum custodiri solitos, nocte occupaverat, et postero die reliquum agmen perquam difficili via enitebatur;

utraque res montanos, prima luce ad stationem solitam convenientes, animis aliquamdiu immobiles defixit:

Deinde ut trepidationem in angustiis suoque ipsum tumultu misceri agmen videre, equis maxime consternatis, quidquid adiecissent ipsi terroris satis ad perniciem fore rati, PERVERSIS *rupibus iuxta* INVIA *ac* DEVIA *adsueti discurrunt.*

Ac primum monendum est, ultimam vocem fraudi deberi Aldi, cuius loco omnes editiones Aldina priores omnesque Codd. (etiam Flor. et Cantabr.) constanter *decurrunt.* Neque enim de vago per rupes cursu agitur, potius decursu sive incursione in hostile agmen ex loco superiore; de quo si ulla esset dubitandi ratio, facile eo revocaret Polybii προςπίπτειν. Sed leve hoc. Nam ut hostes intelligas *rupibus decucurrisse* (incursaturos hostile agmen), ita, unde pendeat *iuxta invia ac devia adsueti,* non intelligas. Nam quo referas accusativum? *) aut, si casus pendet a praepositione, quis tandem *decurrere prope invia ac devia* non adsuetus sit? haereas maxime in *rupibus perversis.* Sed has quidem praesto est, qui facili negotio removeat, rupes

*) Vix operae pretium est referre CREVIERII construendi rationem: *Perversis rupibus decurrunt haud aegre, utpote adsueti invia pariter ac devia* (decurrere.)

infestas, incommodas interpretatus: locis scilicet Virgilii, Propertii et Plauti quibusdam male intellectis, vel perperam huc translatis, in fraudem inductus. In quibus ne deinceps quisquam perfugium defendendae lectionis quaerat, age, breviter ea excutiamus. VIRGILIUS igitur Aen. VII, 583.

Ilicet infandum cuncti contra omina bellum
Contra fata deum perverso numine poscunt.

num voluit *incommodo, infesto?* Imo turbato. v. Intt. At PLAUTI Menaech. V, 5, 1. sunt verba:

Edepol nae hic dies pervorsus atque advorsus mi obtigit
Quae me clam ratus sum facere, ea palam fecit omnia
Parasitus etc.

et PROPERTII IV, 8, 64.

Cinthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit
Et mea perversa sauciat ora manu.

Sane sumpsit Plautus pro *infelici, contrario,* sumpserit item Propertius; etsi fuerunt qui *manum perversam* interpretarentur *inversam, distortam.* At quid inde ad *rupes perversas* explicandas proficitur? Non magis, quam ex Ovidii *terra Euxini sinistra vere sinistra:* quam nemo, opinor, ad comparationem afferet, qui discrimen teneat inter prosam orationem historicorum et ser-

monis quotidiani licentiam, quam recusant ne poetae quidem. Eiusdem generis est SENECAE locus *de Ira* 1, 16. *Perversa induenda magistratui vestis;* et PETRON. *Frag. Tragur.* c. 58. quae habet FORCELLINUS L. L. III, 405. Denique ineptam cogites coniunctionem: „per incommodas „rupes decurrerunt, utpote adsueti decurrere „per invia ac devia.“ Iam tot incommodis, quorum vix partem perpenderunt nuperi editores, succurrens IO. FR. GRONOVIUS, probata vetere scriptura *decurrunt*, cetera in hunc modum emendanda censuit: *Per transversae rupis iuxta invia ac devia adsueti decurrunt.* Qua correctione et grammatica ratio salva est, et *iuxta* sua fungitur potestate; denique voluit GRONOVIUS, quod alio loco dicitur, *occursabant per obliqua montani;* at ipsa coniecturae audacia, non minus quam verborum insolenti iunctura, anne assensum eludit? Piget referre, quid nuper ad emendationem allatum sit. Nec *percursae* rupes, vel *transversae*, vel *praecelsae* quidquam iuvant. Nam cur non potius *per vertices rupis?* At neque ex hoc multum ad sententiam, et, nisi ceteris emendatis, ad grammaticam coniunctionem proficimus. Iam mirum sane, viros doctos incertis se coniecturis exercere maluisse, quam dudum parato auxilio uti. Quid? si, non coniectura ducti, sed probati scriptoris testimonio freti contendimus, hostes, non *rupibus* solum (quibuscumque tan-

dem,) sed *pluribus* etiam *partibus* decurrisse? denique hoc, quod historia suadet, cum facillime vel coniectura e vestigiis corruptae lectionis eruatur, iam e Cod. (Palat. 2.), locum inter primos obtinente, notatum exstat? Noli dubitare quin scripserit Livius:

> *Deinde ut trepidationem in angustiis suoque ipsum tumultu misceri agmen videre, equis maxime consternatis, quidquid adiecissent ipsi terroris satis ad perniciem fore rati, DIVERSI rupibus, iuxta INVIO ac DEVIO adsueti, decurrunt.*

Ita POLYBIUS III, 51: *Μετὰ δὲ ταῦτα θεωροῦντες τὸ τῶν ὑποζυγίων πλῆθος καὶ τοὺς ἱππεῖς δυσχερῶς ἐκμηρυομένους καὶ μακρῶς τὰς δυσχωρίας, ἐξεκλήθησαν ὑπὸ τοῦ συμβαίνοντος ἐξάπτεσθαι τῆς πορείας. Τούτου δὲ γενομένου, καὶ κατὰ ΠΛΕΙΩ ΜΕΡΗ προσπεσόντων τῶν βαρβάρων, οὐχ οὕτως ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν ὡς ὑπὸ τῶν τόπων πολὺς ἐγίγνετο φθορὸς τῶν Καρχηδονίων, καὶ μάλιστα τῶν ἵππων καὶ τῶν ὑποζυγίων.* Eandem rem alio loco (XXII, 3.) ita exprimit: *Hi postquam, qua cuique proximum fuit, inter se conspecti satis eoque magis pariter decurrerunt* etc. ubi Polybius III, 84: *Καὶ τῶν πολεμίων κατὰ πολλοὺς τόπους ἐξ ὑπερδεξίων καταφερομένων.* Ceterum Cod. lectioni *diversis* exquisitius praetulimus *diversi.* XXI, 31. *Arar, Rhodanusque amnes diversi ex Alpibus decurrentes* etc. *Adsueti* autem *invio* — ut *adsuetior montibus miles* —

quantum referat Livianum colorem monere non est opus.

Inter conditiones pacis cum Antiocho pactae, quas refert LIVIUS XXXVIII, 38. legitur:

Ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis recipito. Si qui earum urbium cives, quae regno abscedunt, cum rege Antiocho intraque FINES *eius regni sunt, Apamcam omnes ante diem certam redeant.*

In his facile intelligas, cur revocentur qui cum Antiocho essent, si viros cogitemus in muneribus imperiisque sub Antiocho, quibus privari nollent patrias urbes; non item intelligas, cur revocentur qui intra FINES essent regni eius. Finge cives Graecarum urbium cis Taurum sitarum (quae abscedebant regno) commoratos tum vel peregrinandi, vel negotiandi, vel aliarum rerum causa in Antiochi regno; eos quid tandem attinuit revocare, et intra certam diem, redituros mox sua sponte? Putes Romanos harum urbium civibus interdici voluisse finibus Antiochi, aut timuisse incolumitati; cui, si quid timerent, scilicet non potuit aeque caveri quam *aedibus aedificiisque Rhodiorum sociorumque intra fines regni Antiochi* §. 11. ex quo loco, nisi fallor, nata huius loci corruptela. Quippe si aliorum foederum memineris, mirum videbitur his conditionibus omitti, vel sane ambigue perscribi, quod diserte die-

distincteque ut perscriberetur, maxime in rem fuerat. Militum remittendorum, qui tum essent in exercitu sive intra praesidia regis, ut loquitur XXXVII, 11. et XLII, 19. cur nulla tandem mentio fit? Cui rei ne quis satisfactum putet conditione, qualis vulgo legitur, meminerit, Romanorum non magis interfuisse, ne retineret Antiochus milites, quos haberet *extra fines* (crebro bellare solitus adversus Orientis populos), quam *intra fines*: neque magis milites inter copias terrestres, quam navales. Jam vide Polybii verba Hist. XXII, 26. To. IV. p. 235. *Μηδ' ὑποδεχέσθωσαν τῶν ἐκ τῆς Εὐμένους τοῦ βασιλέως μήτε στρατιώτας μήτ' ἄλλον μηδένα· εἰ δέ τινες ἐξ ὧν ἀπολαμβάνουσιν οἱ Ῥωμαῖοι πόλεων μετὰ . . ΔΥΝΑΜΕΩΣ εἰσιν Ἀντιόχου, τούτους εἰς Ἀπάμειαν ἀποκαθιστάτωσαν*: vixque dubitabis aberrasse librarii oculos ad inferius *infra fines*. Scribendum:

> *Si qui earum urbium cives, quae regno abscedunt, cum rege Antiocho intraque* VIRES *eius regni sunt, Apameam omnes ante certam diem redeant.*

Livius VII, 11. *Pugnatum haud procul porta Collina est totius urbis viribus* etc. Curtius IX, 2, 6. *Ille quidem vires gentis et regni haud falso iactari adfirmat* etc.

Oppugnatione Carthaginis Novae a P. Scipione terra marique instructa, contra Mago Poe-

norum dux et ipse copias disposuit Lib. XXVI, 44.

Oppidanorum duo millia ab ea parte, qua castra Romana erant, opponit; quingentis militibus arcem insedit; quingentos tumulo urbis in orientem verso imponit: multitudinem aliam, quo clamor, quo subita vocasset res intentam, ad OMNIA *occurrere iubet.*

Hoccine vero iusserit providus dux *aliam multitudinem occurrere ad* OMNIA? etiam ad castra Romana, ad arcem, ad tumulum, si inde exaudiretur clamor. Atqui data erant his locis praesidia sua, eo consilio, opinor, ne indigerent ope ulla alterius. Neque vero ad castra, unde magnus mox urbi terror iniectus, occurrisse apparet multitudinem. Denique eo spectabat, nisi fallimur, tam exacta copiarum descriptio, ut ne ulla pars urbis destituta esset praesenti auxilio. Hoc autem qui fieri potuit, si murorum urbis tam levem curam habuerat dux, ut averti ab his defensores, quocumque visum esset, vellet? Ne multa: non *ad omnia* patitur sensus. Requirimus *ad cetera* i. e. *ad reliquas*, praeter designatas, *partes*. Scribendum:

Oppidanorum duo millia ab ea parte, qua castra Romana erant, opponit; quingentis militibus arcem insedit; quingentos tumulo urbis in orientem verso imponit: multitudinem ali-

am, quo clamor, quo subita vocasset res inten-tam, ad MOENIA *occurrere iubet.*

Gravem habeo fidei sponsorem Polybium Hist, X, 12. To. III. p. 211. *Ὁ δὲ Μάγων, ὁ τεταγμένος ἐπὶ τῆς πόλεως τὸ μὲν τῶν χιλίων σύνταγμα διελών, τοὺς μὲν ἡμίσεις ἐπὶ τῆς ἄκρας ἀπέλιπε, τοὺς δ' ἄλλους ἐπὶ τοῦ πρὸς ἀνατολὰς λόφου παρενέβαλε· τῶν δὲ λοιπῶν τοὺς εὐρωστοτάτους περὶ δισχιλίους κατεσκευακὼς τοῖς ὑπάρχουσι κατὰ τὴν πόλιν ὅπλοις, ἐπέστησε κατὰ τὴν πύλην τὴν φέρουσαν ἐπὶ τὸν ἰσθμόν, καὶ τὴν τῶν πολεμίων στρατοπεδείαν· τοῖς δὲ λοιποῖς παρήγγειλε βοηθεῖν κατὰ δύναμιν πρὸς πάντα τὰ μέρη ΤΟΥ ΤΕΙΧΟΥΣ.* Causam depravationis si quaeris, eadem fuit quae apud Interpretem Graecum Caesaris B. G. IV, 19. *Τοὺς δὲ παῖδας καὶ τὰς γυναῖκας πάντα τε τὰ χρήματα ἐν τοῖς νάπεσιν ἀποτίθεσθαι, πάντας δὲ τοὺς ὅπλα φέρειν δυναμένους εἰς ἕνα συνιέναι ΤΟ,ΎΠΟπαραγγεῖλαν.* Scribe: *εἰς ἕνα συνιέναι ΤΟΠΟΝ παρήγγειλαν.*

Non indignus qui ceteris adiungatur, etsi minus liquet de emendatione, locus est, ubi de Abydenorum interitu refert, Lib. XXXI, 18.

Tanta enim rabies multitudinem invasit, ut REPENTE *proditos rati, qui pugnantes mortem occubuissent, periuriumque aliis alii exprobrantes et sacerdotibus maxime, qui, quos ad mortem devovissent, eorum deditionem vivorum hosti fecissent,* REPENTE *omnes ad cae-*

dem coniugum liberorumque discurrerent, seque ipsi per omnes vias lethi interficerent.

Defendit hoc DRAKENBORCHIUS tamquam ortum ex *ὑπερβατῷ,* exemplis usus Gronovii ad II, 12, 2. quae alia omnia probant. Quippe, quae in his iterantur, ad amplificandam sententiam faciunt, sive mutatae constructionis causa iterantur: estque genus potius *ἀνακολούθων*. Speciosius uti poterat XXXII, 21. *An tibi potius credamus, Romanos non maioribus copiis .. nunc bellum gerere, quam antea gesserint, potius quam res ipsas intueamur?* Ciceronis pro Rosc. Com. 5. *Perinde ac si in hanc formulam omnia iudicia legitima ... conclusa ac comprehensa sint, perinde dicemus.* Non similis tamen est horum locorum ratio. Nam in his cum vi repeti vocem, in Livii loco repetitam frigere senties. Et, cur *proditos* dicit, quos, sponte mortem occumbentes, prodiderat nemo? Translate dixit. Audio; at non solet, verecundus, si quis alius, in translationibus scriptor, omisso *quasi, veluti.* Nemini auctor sim, ut hoc restituat, cui, si unus exhiberet Cod. *veputi,* non deessent sui defensores. Non praetermittendus tamen est POLYBII in hoc consensus Hist. XVI, 34. To. III. p. 637. *Οἱ δ' Ἀβυδηνοί, προδιειληφότες ὑπὲρ αὐτῶν κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς στάσιν, καὶ νομίζοντες ὉΙΟΝΕΙ προδότας* *) *γίγνεσθαι*

---

*) Scripsit SCHWEIGHAEUSERUS *προδόται,* quod non reponam e coniectura.

τῶν ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἠγωνισμένων καὶ τεθνεώτων, οὐδαμῶς ὑπέμενον τὸ ζῆν, ὅσοι μὴ δεσμοῖς ἢ τοιαύταις ἀνάγκαις προκατελήφθησαν. An forte librarii error ex eodem fonte profectus, unde apud INTERPRETEM GRAECUM Caesaris B. G. V, 18. *Ἦσαν δὲ πρὸς τούτοις αἱ ὄχθαι σταυροῖς ὀξέσι καταπεπηγμένοις κεκρατυμμένοι. καὶ ἄλλοι σταυροὶ τοῦ αὐτοῦ τρόπου ἐν τῷ ποταμῷ πεπηγμένοι ὑπὸ τῷ ὕδατι ἐκαλύπτοντο. ὃ μαθὼν παρὰ τῶν αὐτομόλων καὶ τῶν ΑΥΤΟΜΟΛΩΝ ὁ Καῖσαρ, τὴν ἵππον προπέμψας τοῖς τάγμασι ταχέως παρήγγειλεν ἕπεσθαι.* Nam hoc quidem loco nemo ambiget, quantumvis id abeat a vestigiis literarum, reponendum esse: *ὃ μαθὼν παρὰ τῶν αὐτομόλων καὶ τῶν ΑΙΧΜΑΛΩΤΩΝ κ. τ. λ.*

Satis exemplorum dedimus ex critico genere; et plura proferemus alia occasione. Restat, ut, quantam explicanti utilitatem etiamnunc praestet Polybii cum Livio comparatio, aliquot exemplis ostendamus.

Exponit artem Hannibalis in fallendis hostibus Lib. XXI, 27. Prohibitus quippe a traiectu Rhodani, adversam ripam obtinentibus Gallis, exercitum misit, qui, superiore loco transito flumine, a tergo adoriretur hostes.

Exercitus ratibus iunctis traiectus, castris prope flumen positis, nocturno itinere atque operis labore fessus, quiete unius diei reficitur,

intento duce ad consilium opportune exsequendum. Postero die profecti ex LOCO *prodito fumo significant se transisse, et haud procul abesse.*

Omnes damnant h. l. lectionem *profecti ex loco* etc. a principe GRONOVIO P. „Non videntur," inquit, „sana. Quid enim hi magis „profecti *ex loco*, quam quivis alii undecumque „discedentes"? *) Quapropter legendum censuerat *ex loco propinquo fumo sign.*, CLERICUS et VOSSIUS V. C. coniecerunt *ex loco edito* **), quod cupide amplexi reposuerunt recentiores editores. Ab his ne quaeram, unde tandem cognoverint, signum fumo datum esse ex loco *edito*, cuius frustra exspectas testimonium; hoc ipsum *prodito fumo significant* etc. qui recte intellexerit, non temere librario tribuet; potius *prodicto* in Cod. Berol. vel *praedicto.* Neque *ex loco proficisci* de quovis dicitur undecumque discedente, ut visum Gronovio, sed de eo, qui ex loco, quem tenet, sive suo discedit. Pronomen intelligitur et in hac voce, et in pluribus aliis, nondum a quoquam cum cura collectis. Liv. XXII, 41. *Crebri relicti in castris ignes, ut fides fieret, dum ipse longius spatium fuga praeciperet ... te-*

*) Confidentius Strothius: „*Profecti ex loco* nihil est, „quum quivis proficiscens ex loco proficiscatur."

**) Cod. *debito*, ex nota permutatione literarum *p* et *d.*

nere in locis consules voluisse. Usum ignorans J. Gronovius coniecit *iis locis.* Recte tuetur Dukerus. SALLUST. Jug. C. XCVII. *Interim Sulla .. ipse aliique Mauros invadunt; ceteri in loco manentes ab iaculis eminus missis corpora tegere.* TACIT. Ann. I, 63. *Caecinae dubitanti quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret . . . castra metari in loco placuit.* Ann. IV, 47. *Mox castris in loco communitis valida manu montem occupat* etc. Denique si cogites, quid Romanis sit *castris positis* pernoctare in loco, et lucem dabit et vicissim accipiet fusius rem narrans POLYBIUS III, 42. *Καταλαβόμενοι δὲ τόπον ὀχυρόν, ἐκείνην μὲν τὴν ἡμέραν διέμειναν ἀναπαύοντες σφᾶς ἐκ τῆς προγεγενημένης κακοπαθείας, ἅμα δὲ παρασκευαζόμενοι πρὸς τὴν ἐπιοῦσαν χρείαν κατὰ τὸ συντεταγμένον.* Et cap. 43. *Σημηνάντων ἐκείνων τὴν παρουσίαν τῷ καπνῷ κατὰ τὸ συντεταγμένον* etc.

Revocat hic locus alium nobis in mentem, similem ob causam non intellectum. Casum Marcelli narrat Lib. XXVII, 27.

> *Ceterum consulem Marcellum tanta cupiditas tenebat dimicandi cum Hannibale, ut numquam satis castra castris collata duceret. Tum quoque vallo egrediens signum dedit, ut* AD LOCUM *miles esset paratus: si collis ... placuisset vasa colligerent ac sequerentur.*

Emendanti se relinquere verba corrupta *) professus Drakenborchius, occasionem nuper dedit Gothano editori coniecturam proponendi, quam vellemus doctissimus vir in quovis angulo delitescere sivisset. Corrigit *ut ad speculandum miles esset paratus.* Vix reperías alienius a sensu. Nimirum, qui vasis collectis Marcellum sequi iubentur, ut castra transferant in collem, si is collis placuisset progresso *ad speculandum* duci, eos, quilibet videt, iuberi non potuisse, ut *ad speculandum* essent parati. Voluit Livius „ut in loco suo quisque paratus esset." Pronomen intelligitur. *Ad* autem si mirum videatur, memineris eandem significationem omnes habere praepositiones, quae motum exprimunt ad locum. Notant de *ad* Inttpp. ad Caes. de B. G. 1, 31. et Gronovius ad Liv. VII, 7, 4. Notabiliora sunt loca, Poetae apud Macrob. II, 2.

Et mira prorsus res fieret
Ut ad me fierem mortuus,
Ad puerum ut intus viverem.

Taciti Hist. II, 97. *Legati pares iure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam eius fortunam* etc. Neque tamen primus ita Tacitus, Livius. *Cicero* Br. extr. *Quorum tamen*

*) Crevierius cepit pro *illico.* Duiatius notat *locum* pro *tempore* poni. „Locum corruptum puto" Drak. Omnes falsi.

ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit. De *in* quarto casui iuncto notabimus ad I, 18. Eodem pertinet *Apud*, rarius apud Livium (V. Duk. ad Epit. XCI.), tam crebro apud Tacitum mutans propriam vim, ut saepius aliunde pendeat explicatio v. c. Ann. XV, 72: *Tigellinum et Nervam ita extulit, ut super triumphales in foro imagines, apud palatium quoque effigies eorum sisteret.* Minus tritus usus est praepositionis *circa* et *circum.* Velleius Paterc. I, 7. *Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, iactatique cum variis casibus, tum saevitia maris, quinto decimo anno sedem cepere* CIRCA *Lesbum insulam.* Nollem probasset Ruhnkenius Heinsii correctionem *sedem cepere Lesbum insulam* CIRCAQUE: etsi aurea est prae plumbea, quae nunc Velleii textum deformat, CONTRA *Lesbum insulam.* Scripturam Velleii defendit Livius XXXI, 3. *Quum M. Aurelius legatus edocuisset eum* (Laevinum), *quantos exercitus, quantum navium numerum comparasset rex* (Philippus), *et quemadmodum circa omnes non continentis modo urbes, sed etiam insulas partim ipse adeundo, partim per legatos conciret homines ad arma* etc. Curt. V, 1, 13. *Duo millia et quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum* (Euphratis et Tigridis) *circa Armeniae montes notaverunt.* Antea dixit: *Ipsi amnes ex Armeniae montibus profluunt.* Similiter Graeci. Herodot. I, 24. *Φαμένων δὲ κείνων ὡς*

εἴη τε σῶς περὶ Ἰταλίην (Arion), *καί μιν εὖ πρήσσοντα λίποιεν ἐν Τάραντι* etc. Thucyd. III, 83. *Ὥςτε ταχείας τὰς ἐπαυρέσεις καὶ πρὸς τὸ τέρπνον ἠξίουν ποιεῖσθαι, ἐφημέρα τά τε σώματα καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως ἡγούμενοι* etc. Ceterum Liviani loci explicatio dudum peti poterat e Polybio X, 31. To. III. p. 262. *Βουλόμενοι δὲ οἱ ὕπατοι κατοπτεῦσαι σαφῶς τὰ πρὸς τὴν τῶν ὑπεναντίων στρατοπεδείαν κεκλιμένα μέρη τοῦ λόφου, τοῖς μὲν ἐν τῷ χάρακι ΜΕΝΕΙΝ ΚΑΤΑ ΧΩΡΑΝ ἐπήγγειλαν· αὐτοὶ δὲ τῶν ἱππέων ἀναλαβόντες ἴλας δύο καὶ γροσφομάχους μετὰ τῶν ῥαβδοφόρων προῆγον κατασκεψόμενοι τοὺς τόπους κ. τ. λ.*

Vnum addamus Livii locum, quem ėt ipsum non poeniteat comparasse cum Polybio. Est in Fabii oratione ad discedentem Aemilium XXII, 39. *Resistes autem, adversus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris: si neque te collegae vana gloria, neque tua falsa infamia moverit. Veritatem laborare nimis saepe aiunt, exstingui numquam.* Sententia e Polybii *ἀληθείας* encomio expressa Hist. XIII, 5. To. III. p. 448. *Οὐκ οἶδ᾽ ὅπως αὐτὴ (ἡ ἀλήθεια) δι᾽ αὐτῆς εἰς τὰς ψυχὰς εἰςδύεται τῶν ἀνθρώπων· καὶ ποτὲ μὲν παραχρῆμα δείκνυσι τὴν αὑτῆς δύναμιν, ποτὲ δὲ πολὺν χρόνον ἐπισκοτισθεῖσα τέλος αὐτὴ δι᾽ ἑαυτῆς ἐπικρατεῖ καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος.* Plura sunt ex huius loci comparatione, quae moneri queant. Primum

hinc vindicatur Livio suum *nimis saepe*, cuius loco J. H. Vossius emendabat *Veritatem* INIMICITIIS *laborare saepe aiunt.* Sane turbant librarii, forsitan in illa particularum coniunctione *nimis saepe* offensi, de qua Gronovius v. ad XLV, 36. Sed generalis s. communis requiritur sententia, qualem dedit Mureti emendatio; vix locum habet, quae, relata ad Aemilii Varronisque consuetudinem, nullis stabiliatur historiae documentis. Porro quid sint veritatis *labores*, quod suspicatus est Crevierius, liquido ostendit Polybii *ἐπισκοτισθεῖσα.* Noti sunt Lunae labores, et poetis et historicis frequentati, ne porro in diversum trahant fluctuantes interpretes.

CAPUT SECUNDUM.

Livii loca aliquot sola coniectura emendata. Moestitia defixit animos, ut prae metu etc. cur dici nequeat. Adverbia similitudinis ἀσυνδέτως in comparatione. Tacitus explicatus. Adventu quo accesserant. Certamen auctum. Ammianus Marcellinus obiter emendatus. Livii in iudicando integritas. Librariorum incuria in mutandis lectionibus. Stimulare absolute. E MS. Flor. vera lectio indagata. Ammianus Marcellinus iterum emendatus. Dimissi fuerunt non idem quod dimissi sunt. Livius octies emendatus.

Quae priore capite propositae sunt emendationes, eo forsitan habebunt commendationis nonnihil, quod diserto scriptoris testimonio et quasi externa quadam auctoritate niti videantur. Ac sane testimonium e scriptore petitum, cuius fidei Livius plurimum tribuit, cuiusque sententias saepius, vel sciens vel insciens, integras transtulit, saepe adumbratas magis illustravit, nemini in emendando levi momento censebitur, si recte adhibeatur. Sed sunt quidam, qui non tam corruptelis Livii petant e Polybio auxilium, quam sa-

na ad inanem similitudinem Polybianae dictionis refingant; irrito conatu, ut alio loco demonstrabitur. Ceterum ignoret Critices vim et praestantiam, qui ubivis talia eius adminicula expetat. Quippe illa, si severa et certis regulis circumscripta comprehenditur ars, (spreto fluctuante isto verisimilitudinis sensu,) tot habet adiumenta a recte cogitandi legibus, a linguae ratione, a scriptoris consuetudine, a plurimis aliis rebus, ut, quid verum, aut saltem quid verisimile sit, sola per se assequatur. In his autem paullo morosius eam agere quam ullam aliam artem, spernentem eorum assensum, qui nullam habeant scriptoris interiorem cognitionem, nullamque gradus verisimilitudinis ponderandi facultatem, adeoque omnes emendationes velint approbari doctis iuxta indoctisque, quod saepenumero ne fieri quidem potest, monitum iam est a viris quibusdam primariis; et nobis itemtidem in animum recurrit, quibus nunc ad hoc emendationis genus transire placet.

Varios describit Livius animorum motus Albae, adventu Romanarum legionum I, 29.

Quae ubi intravere portas, non quidem fuit tumultus ille, nec p a v o r, *qualis captarum esse urbium solet, quum effractis portis, stratisve ariete muris, aut arce vi capta clamor hostilis et cursus per urbem armatorum omnia ferro flam-*

maque miscet: sed silentium triste ac tacita moestitia ita defixit omnium animos, ut PRAE METV *obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio rogitantesque alii alios nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos ... pervagarentur.*

Plurium h. l. proditae sunt emendationes *): a nemine, quod mirere, causam corruptelae expositam videas. Ne enim haereamus cum DUKERO in eo, quod *prae metu obliti* etc. dicuntur, quibus *pavor* afuit: in pavore per se nihil est repugnans metui. Nisi putarat Dukerus, cui mens non sit excussa terrore, eum timere non posse imminens malum; quod secus esse rei ratio evincit. Quod si voluerat Dukerus, vix ac ne vix quidem causam apparere metus, in tali hominum conditione; ea quaestio tota ex eo genere est, quod nobis nunc exquirere non licet. Mirabilius alios offendere videmus in verbis propter *languorem* nescio quem, alios quod sint vix *satis apta*. Sane vix licebit apta dicere, quae *ἀνοησίᾳ* tantopere offendunt. Nimirum silentii ac moestitiae si ullam cogitamus cum metu coniunctionem, eam necesse est cogitemus, ut metus sit causa, moestitia effectus: sive ut proveniant a metu; quomo-

*) Coniecit Dukerus *prae moerore*, Schellerus *ferme sui*. Nuper propositum est *paene mentis obliti*, vel *paene mente alienati* etc.

do proveniunt a pudore, ab ira, et aliis animi perturbationibus. Jam recte dicas: „Ita defixit „metus animos, ut prae *moerore* nescirent homi„nes quid agerent". At nemini sano haec invertere placebit: „Silentium et moestitia defixit animos, ut prae *metu* etc. Similiter dicere licebit: „*Tantus fuit gemitus, ut prae dolore* etc. „*Tan*„*tus fuit clamor, ut prae laetitia*" etc. quae nemo scriptori tribuet, qui nusquam obscurat acumen ingenii lumine eloquentiae.

Difficile est emendare loca, ubi, expunctis quae sensum pervertunt, nihil admodum ad sententiam requiras. Ceterum si delere non liceat, quae, unde venerint, quibusque explicandis inservierint, non demonstres, accuratius perpensa sententia in hac scriptura acquiesces.

> *Non fuit tumultus ille nec pavor ... sed silentium triste ac tacita moestitia ita defixit omnium animos, ut* PERINDE *obliti quid relinquerent, quid secum ferrent ... nunc in liminibus starent* etc.

Immanis, inquit, mutandi audacia! Quae nulla aut levis est. Nam *pinde* et *pmetu* quantum inter se distant? Ut ne praeferam lenius sc. *proinde*, gnaviter vindicatum a D. RUHNKENIO ad Rut. Lup. p. 31. quod Tacito relinquimus et Sallustio, Livio non obtrudimus. Denique ἀσύνδετον *perinde obliti quid relinquerent, quid sec. fer.* ne quis sine exemplo putet, TACITUS Ann. VI, 7.

Perinde in foro, in convivio, quaque de re locuti incusabantur. Sallust. Cat. 11. *Nam gloriam, honorem, imperium bonus ignavus aeque sibi exoptant.* Tacit. Ann. XVI, 10. *Et quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, „audiret insontem" .... clamitabat, donec Princeps immobilem se precibus invidiae iuxta ostendit.* Mirabilis h. l. error est Oberlini, credentis dativos regi a particula *iuxta.* Voluit Tacitus: „immobi„lem se ostendebat Princeps adversus preces iux„ta et invidiam"; nec opus est Gronovii ablativo instrumenti *invidia.* Livianus locus *Res iuxta magnis difficilis,* sive dativus ibi est, sive ablativus, pendens a *iuxta,* huc non pertinet.

Adventum Gallorum exponit Lib. V, 39. *Privatos deinde luctus stupefecit publicus pavor, postquam hostes adesse nunciatum est: mox ululatus, cantusque dissonos, vagantibus circa moenia turmatim barbaris, audiebant. Omne inde tempus suspensos ita tenuit animos, usque ad lucem alteram, ut itemtidem iam in urbem futurus videretur impetus [primo adventu quo accesserant ad urbem]. „Mansuros enim ad Alliam fuisse, nisi hoc „consilii foret* etc. Vncis circumscripsimus verba, pluribus de causis suspecta; de quibus emendandis adeo cogitare viros doctos nonnihil miramur. Ac primum nemo Latine doctus dicit *futurus videbatur impetus primo adventu,* ubi sen-

sus

sus postulat *post prim. adventum.* Hoc autem flagitare praecedens *omne inde tempus* sentiens GRONOVIUS P. scripsit *a primo adv.*, nulli, ne BAUERO quidem, satis intellectus *). Dein neque requiras verba, quae sententiae nil conferant, importuno loco posita, cum impediant sermonem obliquum. Iam si haec non movebunt, quis vel fando audivit *primo adventu quo accesserant ad urbem?* Nemini auctor sum, ut extundet ex his *adventu accedere,* qui sciam, quid relativum in tali structura sibi tribui postulet **). Vtcumque sit, si dictum opineris: *Omne sequens tempus — a primo hostium adventu — postquam accesserant ad urbem* — num magis placebit ter idem expressum? Imo, deletis quae ne ab uno quidem profecta esse apparet, scribendum:

Omne inde tempus suspensos ita tenuit animos usque ad lucem alteram, ut itemtidem iam in urbem futurus videretur impetus. „Mansuros „enim ad Alliam fuisse, nisi hoc consilii foret".

De veritate huius correctionis vix dubitare sinunt discrepantes Codd. lectiones apud Drakenb.

Certamen M. Valerii refert contra Gallum provocantem Lib. VII, 26. Ibi haec leguntur: *M. erat Valerius tribunus militum, adolescens, qui*

*) Mira sunt quae habet Drak. et erudito viro vix digna.

**) Vide ad XXII, 30.

haud indigniorem eo se decore quam T. Manlium ratus, prius sciscitatus consulis voluntatem in medium processit. Minus insigne certamen humanum numine interposito deorum FACTVM. *Namque conserenti iam manum Romano corvus repente in galea consedit.* Eruit ex his verbis nuper Gothanus editor hunc sensum: „Certamen huma„num minus factum est insigne ob auxilium „Manlio divinitus praestitum." Quod adeo abhorret a sententia scriptoris, ut vix quisquam legere possit, quin protinus flagitet „insigne factum „est", et ipse suasit V. C. Verior erat verborum coniunctio, quo revocabat ipsa eorum collocatio: „Certamen inter homines minus insigne — quip„pe nec dignitate nec nobilitate magnopere con„spicuos — factum est... numine interposito de„orum." An igitur excidit, quod perficiat sententiam, adiectivum v. c. *inclytum*, *clarum*, *celebre?* Ut in loco IV, 35. *Annum insequentem neque bello foris, neque domi seditione insignem ... ludi celebrem fecere.* Exquisitius quiddam requirimus. Legendum coniecimus:

> *Minus insigne certamen humanum numine interposito deorum* AVCTVM.

Aucti homines et res dicuntur, cum insigniores, maiores, clariores adspiciuntur. Cicero Phil. XIV, 6. *Vt ille dies non modo me iniquissima invidia liberarit, sed etiam celeberrima P. R. gratulatione auxerit.* Et in divina (iudice I. Sca-

ligero ad Eus.) Phil. IX, 6. *Augeatur igitur isto etiam honore is vir, cui nullus honor tribui non debitus potest.* Absolute Tacit. Ann. IV, 64. *Augendam cerimoniam loco, in quo tantum in Principem honorem dii ostenderint.* Ceterum ex *ᵛactum* (ut saepe peccatur in Cod. Virgilii Florent.) quomodo *vactum*, dein *factum* oriri potuerit, facile intelligitur. Eadem vox male sedem cepit apud AMMIANUM MARCELLINUM XXI, 16, 10. Wag. nondum inde expulsa. *Ille enim* (Gallienus) *perduellionum crebris verisque appetitus insidiis, Aureoli, et Posthumi, et Ingenui, et Valentis cognomento Thessalonici, aliorumque plurium, mortem factura crimina aliquoties lenius vindicabat: hic* (Constantius) *etiam* FACTA *vel dubia adigebat videri certissima vi nimia tormentorum.* Scribe: *Hic etiam* FICTA *vel dubia* etc.

Res exponit LIVIUS duce Appio Claudio Cons. male gestas in Etruria Lib. X, 18. Dein addit:

> *Literas ad collegam arcessendum ex Samnio missas in trinis annalibus invenio; piget tamen* INCERTUM *ponere, quum ea ipsa inter consules Pop. Rom. iam iterum eodem honore fungentes disceptatio fuerit.*

Neminem offendere in his videmus, etsi sensus depravatio paene oculis sese ingerit. Cur tandem, quaeras, pigeret scriptorem incertam rem ponere, quam incertam fecisset consulum disceptatio?

An forte libuit scriptori in tantula re „gratiam aut odium exercere" ? Ratio frustra quaeritur. Nullus est auctor, cuius integritas in iudicando magis ubique eluceat. Lib. XXVI, 49. *Tum obsides civitatium Hispaniae vocari iussit Quorum quantus numerus fuerit, piget scribere, quippe quum alibi trecentos ferme, alibi septingentos viginti quinque fuisse inveniam.* XXIII, 6. *Romam legatos missos a Campanis in quibusdam annalibus invenio postulantes, ut alter consul Campanus fieret. — Quia nimis compar Latinorum quondam postulatio erat .. ponere p r o c e r t o sum veritus.* XXVII, 1, 3. *Romanorum sociorumque quot caesa in eo millia sint, quis p r o c e r t o affirmet? quum tredecim millia alibi, alibi haud plus quam septem inveniam.* VIII, 6. XXIX, 25. etc. Quare non dubitamus, quin etiam h. l., respiciens, qui temere pro explorata rem acceperant, annalium conditores, scripserit:

> *Literas ad collegam arcessendum ex Samnio in trinis annalibus invenio; piget tamen VT CERTVM ponere, quum ea ipsa inter consules P. R. — disceptatio fuerit.*

Insignior coruptela et sensus depravatione et remedii facilitate est libro *vigesimo tertio* c. 14. Narrat dissensionem ortam inter Nolanos, cum plebs ad partes Hannibalis inclinaret, senatus constantem erga Romanos fidem tueretur.

Itaque ubi senatum metus cepit, si propalam tenderent, resisti multitudini concitatae non posse; clam SIMVLANDO dilationem mali inveniunt. Placere enim sibi defectionem ad Hannibalem simulant; quibus autem conditionibus in foedus amicitiamque novam transeant, parum constare.

Non alius est Livii locus, ex quo clarius appareat librariorum temeritas in refingendis scripturis, si vel levis corruptela sensum obscurasset. Inde iudicari licet, quoties frustra expetatur a critica certum remedium, si, uno aut duobus relictis Codd., gradus vitii crescentis ignorentur. Fac relictam esse unam vulgatam et Cod. Put. lectionem *non posse secunda dissimulanda simulando dil. mali inveniunt*, et incertum haerere senties iudicium, quid in emendando sequare. Cogit nos summa Cod. Put. auctoritas, ne quis porro quid frustra in eo reponat *), ut fraudem vestigiis suis patefaciamus.

Genuinum, proxime saltem accedens ad scriptoris manum, ponimus vulgatum *posse clam simulando dil.* etc. Inde factum primo in Voss. Lov. 2. 4. Harl. Gaertn. et Hearnii Codd. Ox. *posse sed clam*

*) Veluti GRONOVIUS ex his ipsis Put. Cod. vestigiis coniiciens *non posse obsecundando dilat. m. inv.* vel *secunda simulando dil. m. inv.*, quod nuper receptum; quibus coniecturis ad integritatem sententiae nil proficitur.

simulando dil., errore bis scriptis *se* additoque *d* ex *cl.* Proxime accedit Hav. *posse sed clam dissimulando;* in quo iam manifesta correctoris manus. Apertius hanc prodit Barberinor. Codd. lectio *posse sed clam simulanda dissimulando*, coniunctas exhibens diversas Codd. lectiones. Iam altero vitii quasi ortu factum ex *sed clam* sive casu, sive, quod verisimilius, de industria *secum.* Quare Florentini: *posse secum dissimulanda simulando.* Inde tandem multiplicato errore Put. Pet. et Flor. opt. *posse secunda dissimulanda simulando.* Neque sic antiquum *clam* prorsus evanuit. Rec: *posse secunda clam dissimulanda simulando.* Quid deinde Hafn. et Berol.? Scil. *posse assensum simulando dil. mali inveniunt*; qua lectione nulla alia est ad confirmandum id, quod diximus, aptior.

Iam his calami ludibriis cum fides haberi nequeat, neque, qui has secuti locum emendarunt operae pretium fecisse videantur, certius remedium expetemus a scriptore ipso. Quippe qui accuratius perpenderit sententiam, ipsa oppositorum ratione hoc requiri videbit: „Cum senatus „videret, resisti multitudini concitatae non posse, „si propalam adversarentur, dilationem mali in„veniunt, dum clam irritant impelluntque ad id, „quod agitabant." Scribendum:

Itaque ubi senatum metus cepit, si propalam tenderent, resisti multitudini concitatae non

posse; clam STIMVLANDO *dilationem mali inveniunt. Placere enim sibi defectionem ad Hannibalem simulant* etc.

Vsum absolutum v. *stimulare* movendi, impellendi notione, notare neglexit Glossarium Liv... Lib. XXI, 53. *Haec assidens aegro collegae, haec in praetorio prope concionabundus agere.* *S t i m u l a b a t et tempus propinquum comitiorum, ne in novos consules bellum differretur.* XLII, 18. *Eumenes.. profectus, praeter pristinum odium recenti etiam scelere Persei s t i m u l a n t e, summa vi parabat bellum.* I, 15. *Et consanguinitate.. et quod ipsa propinquitas loci .. stimulabat, in fines Romanos excucurrerunt.* V. etiam Forcell. h. v.

Similis corruptela, persimili modo sananda, omnes fefellit Lib. XXIV, 1. Bruttiis adhortantibus Locrenses ad tradendam urbem Poenis in colloquio nullius rei primo fides; deinde ut Poenus apparuit in collibus, Locrenses, metu victi, consulturos se populum responderunt:

Advocataque extemplo concione, quum et levissimus quisque novas res novamque societatem mallent, et quorum propinqui extra urbem interclusi ab hostibus erant, velut obsidibus datis pigneratos haberent animos, pauci magis t a c i t i probarent constantem fidem, quam PROBATAM *tueri auderent; haud dubio in speciem consensu fit ad Poenos deditio.*

Non multis verbis opus est, ut demonstremus, quid frigidum, quid ambiguum, quid abhorrens a consuetudine scriptoris insit huic lectioni; quae ne fidem quidem habet. In MS. Florentino opt. legitur PROLATAM. Scribe:

> *Quum .. pauci magis taciti probarent constantem fidem, quam* PROPALAM *tueri auderent; haud dubio in speciem consensu fit ad Poenos deditio* etc.

Vin' in re manifesta ut exempla proferam? Lib. XXIV, 14. *Legiones magna ex parte volonum habebat; qui iam alterum annum libertatem tacite mereri quam postulare palam maluerant.* XXIV, 38. *Haec occulta in fraude cautio est: cui quoniam parum succedit aperte et propalam claves portarum reposcunt.* XXXIV, 33, 4. *Haec propalam dicebat: illa tacita suberat cura.* XXVI, 35, 7. et XXIII, 14, 2. ubi ex iisdem MS. Flor. vestigiis vulgato *palam* substituit *propalam* Gronovius. Origo illius erroris literarum P. et B. fere perpetua in Codd. permutatio. Apud AMMIANUM MARCELLINUM XXXI, 15. etiam in novissima editione legitur: *Parandis operibus reliquum diei et nox omnis absumpta. Nam intrinsecus silicibus magnis obstrusae sunt portae, et ad emittenda undique tela vel saxa tormenta per locos aptata sunt habiles, aggestaque* PROPE *sufficiens aqua. Pridie enim dimicantium quidam siti adusque ipsa vitae discrimina vexati sunt.*

Vere corrigit v. d., cuius emendationes in Ammianum servamus, PROBE. Apprime ad consuetudinem illius aetatis.

Eodem in LIVII libro c. 43. legitur: *Romae quum tribuni plebis novi magistratum iniissent, extemplo censoribus P. Furio et M. Atilio a L. Metello tribuno plebis dies dicta est. — Quaestorem eum proximo anno ademto equo tribu moverant, atque aerarium fecerant, propter coniurationem deserendae Italiae ad Cannas factam. — Sed novem tribunorum auxilio vetiti causam in magistratu dicere, dimissiQVE FVERANT. Ne lustrum perficerent, mors prohibuit P. Furii* etc.

Decepit librarios, quibus hoc debetur *dimissi fuerant*, proxime praecedens orationis membrum, quo perperam traxerant verba *sed* etc. Apertum est vitium, si paullum distinctione iuvamus sensum. Coniecit Crevierius *dimissi fuerunt*; cuius non minor est offensio quam vulg. lectionis. Neque illius usus est, nisi in relatione quadam. Veluti si scripsisset: „Sed vetiti „causam in magistratu dicere dimissique fuerunt, „cum alia repente mota est accusatio." Requirimus *dimissi sunt*. *) Sed in causa suppressa et

*) „Mirus stupor grammaticorum, qui haec confundunt." VOSSIUS, Arist. Loquitur de eo quod interest inter *amatum fuisse* et *amatum esse*.

deposita, qua numquam deinde exagitati fuerunt viri de civitate bene meriti, quid tandem sensui convenire iudicabimus? Vel Horatianum *tu missus abibis* aliud suadeat. Legendum coniecimus:

> *Sed novem tribunorum auxilio vetiti causam in magistratu dicere dimissi* QVIEVERVNT. *Ne lustrum perficerent, mors prohibuit P. Furii* etc.

Significationis passivae exempla habet Glossarium Liv. De participiis iunctis sine copula satis dixit ad XXXIX, 4. Gronovius.

Agmen claudat Livii locus, cuius ut turpis est depravatio, ita prompta ac facilis emendatio. Est in Fabii oratione Lib. XXVIII, 40. *Ego autem primum illud ignoro, quemadmodum iam certa provincia Africa consulis viri fortis ac strenui sit; quam nec senatus censuit in hunc annum provinciam esse, nec populus iussit. Deinde si est, consulem peccare arbitror,* QVI DE *re transacta simulando se referre senatum ludibrio habet, non senatorem modo, qui, de quo consulitur, suo loco dicit sententiam.* Cum rumor percrebruisset, Africam provinciam extra sortem destinatam esse Scipioni, cupienti finire bellum in hostium terra, duo ponit Scipionis adversarius. Primum rem vix credibilem, de qua nondum sit aut relatum ad senatum, aut latum ad populum. Alterum, si tamen certa sit Scipionis provincia, sci-

licet re iam ante relationem vel rogationem per amicos factionemque illius confecta, quod accusatorie innuit, peccare ait Consulem, qui „simu„lando se referre (h. e. specie relationis) de re „transacta senatum ludibrio habeat." Iam in hac sententiarum coniunctione, quem tandem fundunt sensum, nisi ineptum, verba *de re transacta?* Requirimus de re *nondum transacta*, vel *dissimulando se referre de re tr.* quo uno peccare contra dignitatem senatus videri poterat. Leni mutatione sententiae constabit sanitas. Lege:

> *Deinde si est* (certa Scipionis provincia), *consulem peccare arbitror*; *QVIPPE, re transacta, simulando se referre senatum ludibrio habet, non senatorem modo, qui de quo consulitur suo loco dicit sententiam.*

CAPUT TERTIUM.

Livii loca aliquot explicata. Fama in Sabinos an per ellipsin participii explicandum. Curtius emendatus. Secundum quosdam scribere. Livius obiter e Polybio emendatus. Non potest, qui non debet. Ablativus casus post verba vim habentia comparativi. Sallustius explicatus. Copula in disiunctione. Quin tu translatum in orationem obliquam. Tacitus bis (leviter) correctus. Metus vastitatis. Non modo sequente affirmatione pro non modo non et Graecis et Latinis usitatum. Explorare moenia aliasque portas. Comitia curiata Livii sententia Veiis habita. Et explicativi duplex usus. Tacitus saepius illustratus. Formulae Sibi habeat varius usus etc.

Satis demonstratum est in prioribus capitibus, quantum in sanandis Livii corruptelis elaborandum supersit, etiam sine Membranarum subsidio; nam destituunt in his fere membranacea auxilia, ubi auxilium maxime requiras. Ad hoc genus emendationis, varie exercendum, quoniam saepius nobis redeundum erit, nunc aliquantisper eiusmodi immorabimur locis, quae non tam emendatricis cri-

tices ope, quam explicationis luce indigeant. Quippe plurima ex eo genere, ut iam supra significavimus, destituta sunt a viris doctis, facilia explicatu, si modo constantius scriptoris proprietates consulas. Ceterum eligemus nonnisi potiora quaedam, et quae utilem habeant generalem admonitionem, ne desertos se a nobis ii querantur, quibus in libro ex critico genere nil valet coniicientis vel explicantis dexteritas, nisi sit cum suo aliquo praesenti usu coniuncta.

Notabilis est Livii locus I, 18. de Numa Pompilio: *Auctorem doctrinae eius, quia non exstat alius, falso Samium Pythagoran edunt: quem Servio Tullio regnante Romae, centum amplius post annos in ultima Italiae ora, circa Metapontum Heracleamque et Crotona, iuvenum aemulantium studia coetus habuisse constat. Ex quibus locis, etsi eiusdem aetatis fuisset,* QUAE *fama in Sabinos, aut quo linguae commercio, quemquam ad cupiditatem discendi excivisset? quove praesidio unus per tot gentes, dissonas sermone moribusque, pervenisset?* Turbas, quas hic locus dedit, ab una vocula QUAE ortas esse apparet. Hac semel recepta, si non *ἀνακόλουθον* vix explicabile admitti vellent Critici, non poterat fieri, quin variis se impedirent difficultatibus, etiam praestantiores. Verum censemus *QUA fama in Sabinos.* Voluit Livius: „Etiamsi Numae aetate vi-

„xisset Pythagoras vix tamen fieri potuisse, ut famâ „suâ inter Sabinos quemquam excitaret ad di„scendi cupiditatem; aut ut ullum esset inter eos „linguae commercium. Pythagoram autem pro„fectum esse ad Sabinos, per tot gentes feras, „nemini probabile videri posse." Ceterum qui et hoc et Tacito loco Ann. XI, 6. *fama in posteros* participium intellexerunt *perlata*, ut Bauerus, non solum meminisse debebant antiquae formulae *Esse in potestatem alicuius* (de qua plena manu Gronov. ad II, 14, 4.), cui similes sunt *Tabulam in aedem matris Matutae ponere* XLI, 33. *Haerere in terga hostium* Liv. I, 14. et Ammian. Marc. XIV, 14. (male suspecta Heumanno), nec dissimilis origine *fama ad posteros*; sed etiam *Ius legatorum in exteras gentes sacrum* apud Tacit. Hist. III, 80. *Turris in extremam navim educta* Hist. II, 34. ubi et Graecorum consuetudo et antiquae locutionis usus, historicis studiose quaesitus, suppleri quid vetant *). Simile vitium, e male intellecto siglo relativi ortum, obiter eximamus Curtio VII, 8, 10. *Scythis autem non ut ceteris Barbaris rudis et inconditus sensus est*; *quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantamcum-*

*) Ita aestimari velim, quae supra posuimus exempla p. 24. Sunt haec, quae antiquitatem redolent, imprimis historicis propria.

que gens capit semper armata: sicque loquutos esse apud regem memoriae proditum est. Abhorrent forsitan moribus nostris et tempora et ingenia cultiora sortitis; sed ut possit oratio eorum sperni, tamen fides nostra non debet, QUAE *utcumque tradita sunt, incorrupta perferemus.* Pauca desunt ad integritatem loci, in quo emendando licenter admodum versatus est I. FREINSHEMIUS. Legitur in Codd. *abhorrentem*, in editt. vetustis *abhorrentia.* Scribe: *Abhorrent* EA *forsitan moribus nostris, sed ut possit oratio eorum sperni, tamen fides nostra non debet,* QUA, *utcumque tradita sunt, incorrupta perferemus.*

Omnibus suspectus locus est II, 21. Relata pugna ad lacum Regillum, quam A. V. 255. assignat A. Postumio dictatore, apud quosdam notat pugnam eam adscribi A. V. 258. A. Postumio iterum consule. *Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui consules* SECVNDVM QUOSDAM, *nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo sed etiam auctorum digerere possis.* „Non perspicio," notat DUKERUS, „sensum horum verborum. Si consules et res gestae tantum *secundum quosdam* digeri non poterant, fuerunt ergo alii, secundum quos id fieri poterat. Sed hoc repugnat sententiae Livii, qui de omnibus loquitur." Explico sensum: Tanti errores

ita impediunt, ut, si consensum quaeras *fide dignorum auctorum*, neque consulum ordinem neque rerum possis colligere etc. Quod omisit *secundum quosdam* PERIZONIUS Animad. H. p. 182. et omissum probavit DUKERUS, ad sensum, si quid video, maxime necessarium est. Non solet Livius pro explorata rem referre, si in diversa abeunt, quos sequitur, auctores. Neque is sequi solet, nisi quorum fidem diligentiamque habuit exploratam. Iam si hos repererat dissentientes, potuit sane ordinare res secundum *aliquos*, et numero plures et consentientes inter se, non item secundum *quosdam.* Idem pronominum discrimen dilucido loco habes XLIV, 35. *Et primo* (Perseus) *supprimere in occulto famam eius rei* (devicti Gentii) *est conatus: sed iam et pueri* QVIDAM *visi ab suis erant inter obsides Illyrios ducti, et quo quaeque diligentius* etc. *Pueri quidam?* dicas forsitan. Et malit audacior *purpurati* (ut in simili causa XXXIII, 13, 14.) aut saltem *pueri regii*, vana suspicione. Intellexit Gentii liberos, ductos cum patre in triumpho, v. XLV, 43. et Polyb. XXX, 13. To. IV, p. 478. Hinc explicandum loquendi genus rem *quodam modo* dicere. CICERO Br. 40: *Crassus erat elegantium parcissimus, Scaevola parcorum elegantissimus. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis, Scaevolae multa in severitate non deerat comitas. Licet omnia hoc modo; sed vereor*

reor ne fingi videantur haec, ut dicantur a me QUODAM MODO*; res se tamen sic habet.* Nollem offensus his nuper eruditissimus vir coniecisset *commode.* Adeo invite illo careamus *quodam modo,* quo multo plura intelligimus quam eo, quod substituitur *). Ceterum nemo huc trahet XXXVII, 54. *Interposita Smyrnaeorum brevis legatio, quia non aderant (L. aderat) quidam Rhodiorum.* POLYBIUS XXII, 5. To. IV. p. 182. *Μετὰ δὲ τοῦτον ἐβούλοντο μὲν εἰςάγειν Ῥωδίους· ἀφυστεροῦντος δέ τινος τῶν πρεσβευτῶν, εἰςεκαλέσαντο τοὺς Σμυρναίους.* Nam ibi *quidam* est *τίς,* neutrum est *aliquis.* Denique, ne quis ab illa verborum traiectione *nec quid a. sit* suspicionem ducat glossae, similia sunt I, 18. *Qua fama in Sabinos, aut quo l. com. quemquam.* I, 40. *Vt in civitate post centesimum fere annum quam Romulus, Deo prognatus, Deus ipse, tenuerit regnum, donec in terris fuerit, id servus* etc. V. Duker. ad XXVI, 39.

Eodem libro c. 24 legitur: *Consul misso senatu in concionem prodit. Ibi, „curae esse patribus", ostendit, „ut consulatur plebi. Ceterum „deliberationi de parte civitatis .. metum pro universa republica intervenisse: nec* POSSE*, quum*

*) Praeclare explicuit SCHÜTZIUS V. C. „ut concinnitatem captem et eius laudem petam, per illa σχήματα parium paribus relatorum".

„*hostes prope ad portas essent, bello* PRAEVERTISSE „*quidquam* etc. Etiam haec recta omnia et sana legi contendimus: tantum abest, ut offendat quidquam. Primum *praevertisse* aptius vulgari censemus *praevertere.* Hoc enim rem praesentem modo s. instantem, illo peractam iam et absolutam conspicimus cogitatione loquentis, quod gravius ad sensum esse quisque sentit. Saepe ita Livius Graecorum more, sed fere semper (etiam a Bauero) male intellectus; quasi pro infinito praesenti utatur perfecto aoristo. XL, 10. *Perisse expetunt, quia tuis iniuriis doleo.* XXIV, 18. *Qui excessisse velle dicebantur.* Creberrime OVIDIUS. Trist. I, 5, 4. *Qui primus ausus es alloquio sustinuisse tuo* etc. Eo autem respicere debebant, qui, nuper exorti, nihil discriminis agnoverunt inter *oratum volo* et *orare, haustum volo* et *haurire,* et similia. Porro, quod requirit Gothanus editor „nec debere (se) praevertere „quidq.", non meminerat idem significare *posse.* IX, 26. *Omnia, etiam quae non possint, tentari.* II, 16. *Consules .. quum ita proelio afflixissent opes hostium, ut nihil inde rebellionis timere possent.* Perperam DUKERUS c. *timeri posset.* Inde facilis progressio ad insolentius III, 50. *Docendoque, quanto visa quam audita indigniora potuerint videri* etc. XXIII, 14. *Nihil eorum, quae pati aut timere possent, praetermissurus.* Nimirum diversae hae significationes quomodo

oriantur una ex altera, nemini obscurum erit, qui similem comparaverit permutationem notionum, sed contrario modo, in participio, quod dicitur, futuri passivi; in quo quantum differat usus Ciceronis a sequentium consuetudine (etiam Livii, etsi raro), sive, ut sensim a notione necessitatis id participium relabatur ad exilem notionem adiectivi in *ilis*, alio loco exponemus.

Similes grammaticas difficultates obiecit eodem libro locus c. 30. *Multis, ut erat, horrida et atrox videbatur Appii sententia; rursus Virginii Lartiique haud salubres; utique Largii putabant sententiam, quae totam fidem tolleret. Medium maxime et* MODERATUM UTROQUE *consilium Virginii habebatur.* Haud abnuam aliquantum hoc insolentius dictum videri, quam quae e Plauto proferuntur ad ellipsin τοῦ *magis* illustrandam:

Et tacent, quia tacita bona'st mulier semper quam loquens

cui par est Liv. III, 40. *Oratio precibus quam iurgio similis* *). Quid? si tamen insolentius dictum retinendum, non temere usitato *moderatius* permutandum censemus? Recordabimur plura esse utriusque linguae verba, quibus naturâ insit vis comparativi; unde intelligitur, cur

*) Satis de his dixerunt Lipsius ad Tac. Hist. III, 6. Vossius Ar. II. p. 566. Periz. ad Sanct. IV, 7, 4. Adde de loco Plaut. G. Hermann. de ellipsi p. 188.

et cum comparandi particula construantur, et hac omissa interdum solo comparandi casu. Referimus huc Graecorum ὑστεραῖος, προτεραῖος, vel cum ἤ composita vel cum genitivo: notiora sunt ἕτερος, ἄλλος, alia; a posteriore notabile est adverbium in ἄλλοθι πάτρης Od. ρ. 318. quod „seor„sum a patria" explicant, cum liceat explicare „alibi quam in patria". *Alius* sexto casui iunctum habes apud Ciceronem, Horatium, Phaedrum, ubi nemo nunc *ab* suppressum putabit cum Vossio Ar. II, p. 371. Sed longius fortasse patet haec explicandi ratio, etiam ad alia loca utiliter transferenda. Sallustus Iug. c. 16. *Eum Iugurtha tametsi Romae in amicis habuerat, tamen accuratissime recepit: dando et pollicitando perfecit, uti fama, fide, postremo omnibus rebus commodum regis anteferret.* Comminiscitur Cortius antiquum dativum *famai* *), immemor Ciceronis sui, quem profert, pro Bálbo c. 8. *Libertatem civitate anteferre*; aut ablativum pro dativo sumit, neutra probabili coniectura. Anne cogitaverat auctor? „Commodum regis potius ha„bere, quam etc." Tacitus An. I, 58. *Pacem quam bellum probabam*, item secutus latentem vim comparativi in verbo. Livii propria est loquendi ratio XXIV, 19. *Fabius omittendam ratus rem parvam ac iuxta magnis difficilem.* Ni-

*) De quo, dubio admodum an occurrat apud scriptores, v. Quintilian. I, 7. ibique Spalding.

hil impedio, si quis explicet „similiter cum", quae Perizonii est sententia ad Sanct. I, 16, 1. Sane dicitur *iuxta cum:* at multo frequentius etiam *iuxta quam, perinde, aeque, pariter quam* clare expressa notione comparativi, ut non decernam, qua explicatione ad cognoscendam constructionis rationem plus adiuveris. Iam — ut redeat oratio eo, unde exorsa est — si *consilium moderatum* ipsum non cogitari possit, nisi medium sit inter duo, quibuscum comparatum, sive per quae appareat moderatum, adeone durus videatur adiunctus ablativus? Non vereor ne temeraria haec censeatur defensio iis, qui non contenti una historica harum rerum observatione, altius volent inquiri in naturam casus, qui adhibetur in comparatione. Nam neque Latinorum is casus ab eo, qui dicitur ablativus instrumenti, neque Graecorum comparandi casus a genitivo, qui nominibus et verbis additus respectum rei exprimit, adeo diversus est quam fortasse videatur.

Tertio libro c. 55. legitur: *Institutum etiam ab iisdem Coss., ut SCta in aedem Cereris ad aediles plebis deferrentur; quae ante arbitrio consulum supprimebantur* VITIABANTURQUE. Mirere hunc praetermissum esse locum ab iis, qui ubivis in disiunctione requirunt disiunctivam particulam. Hoc sane voluit Livius: „SCta vel sup„pressa esse vel vitiata". (De vitiandi modo ac-

curate exposuit D. RUHNKENIUS ad Vell. Pat. II, 60.) Ab illo errore ne Heusingerus quidem satis sibi cavit ad Cicer. Off. I, 28. *Rationem quae docet et explanat quid faciendum fugiendumque sit.* Nimirum *ve* in his esse emendate scribentis facile concedimus, modo ne quis omnia, quae diversi sunt generis exempla, imprimis historicorum, corrigenda esse existimet. Cogitare potuit scriptor: „SC[ta] quae non solum supprimebantur, sed etiam vitiabantur". Quare rectum XXVII, 45. *Famam bella conficere, et parva momenta ad spem metumque impellere homines.* XXIII, 1. *Aliquot eo proelio nobiles iuvenes capti caesique; inter quos et Hegeas praefectus equitum.. cecidit.* Ex hoc loco emenda CURTIUM III, 11, 10. *Macedonum quoque non quidem multi, sed promptissimi tamen caesi * sunt: inter quos Alexandri dextrum femur leviter mucrone perstrictum est.* Excidit *vulneratique* aut simile verbum. V. Liv. XXII, 49.

Eodem libro c. 61: *Quid latrocinii modo procursantes pauci recurrentesque tererent tempus.... Quin* ILLI *congrederentur acie inclinandamque semel fortunae rem darent.* Ne credas HEINSIO corrigenti (ad Vell. II, 28. p. 810. Ruhnk.) *Quin illico congrederentur*, etsi graves habet sententiae adstipulatores Graevium ad Flor. II, 2, 1. et Drakenb. ad h. l. quatenus hic, praeter consen-

sum Membrr., Heinsio obvertit nihil. Vel una analogia satis cognoscas, sic recte dici. Ut enim in directa oratione nota formula vehementer adhortantis est (v. Voss. Ar. II, p. 572.) *Quin tu respondes! Quin tu pacto stas!* — quae vulgo apposito signo interrogandi scribi solet, quasi *quîne* illud servasset primitivam notionem — sic recte, translatâ in orationem obliquam, dici debet *Quin ille responderet! Quin ille pacto staret!* Confirmat analogiam scriptoris consuetudo. Lib. XXXIX. 32. *Quin ille sedens pro tribunali.... spectatorem comitiorum se praeberet.* IV, 43. *Quin illi remittendo de summa iuris mediis copularent concordiam.* Et perpetuus Livii imitator CURTIUS V, 5, 19. *Quin illi ex hoc carcere erumperent.* Iam nemo illud *illico* tamquam efficacius praetulerit. Ita corrigendus est TACITI locus Ann. XIV, 59. *Quin, inquit, Nero, deposito metu nuptias Poppaeae, ob eiusmodi terrores dilatas, maturare PARAS, Octaviamque coniugem amoliri, quamvis modeste agat, et nomine patris et studiis populi gravem!* Vulgo *parat*, quod correctum iam a MURETO, nondum est suo loco positum; interpunctio quoque in Oberliniana edit. laborat. Sic corrige Ann. XIV, 56. *Quin, si qua in parte lubricum adolescentiae nostrae declinat, revocas, ornatumque robur subsidio impensius regis!* Nam si *quin* est *imo etiam* (nullo signo exclamandi adiecto), nihil habes in tota Neronis ora-

tione, quo cohortatus esse appareat Senecam ad praeceptoris personam retinendam; quod tamen studiose quaerebat fallax illius amicitia. Idem vitium tolle Hist. III, 20.

Libro quarto c. 21. legitur: *Pestilentior inde annus C. Iulio iterum et L. Virginio Coss. tantum* METUM *vastitatis in urbe agrisque fecit, ut non modo praedandi causa quisquam ex agro Ro.* NON *exiret.. sed ultro Fidenates.. descenderent in agrum Romanum. Metum* omittit GRONOVIUS P. ad VIII, 11. Omnes delent vel mutant recentiores editores. Anne meminerant illius „Saepe „plus in metuendo mali est, quam in illo ipso, „quod timetur"? Et alibi ita Livius: XXIII, 14. *Metum agrorum populationis sibi proponere.* X, 35. *Metus insidiarum.* Quod nove dictum a Sallustio videbatur Nonio h. v. habet iam *Cicero* pro L. M. c. 6. *Haec nobis provincia non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defendenda.* Ceterum si deleas negationem ante *exiret*, quam Codd. omittunt, hic locus veritatem evincet loquutionis *non modo sed etiam* pro *non modo non sed etiam;* de qua vel plane dubitant vv. dd., veluti Perizon. ad Sanct. IV, 7. Drakenb. ad h. l. *) Bauerus ad Thucyd. I, 35. aliique nunc plures, vel in probando parum certis exemplis utuntur. Nihil enim probant in apo-

*) Postea tamen sententiam retractans, ad XXV, 26.

dosi habentia *vix*, *ne quidem*, aut aliam negationem, qualia sunt in Gloss. Liv. Certa sunt, et in quibus nulla est Codd. varietas, Liv. XXIV, 40. *Ut non modo alius quisquam arma caperet.. sed etiam ipse rex.. ad flumen navesque perfugerit.* Varro de L. L. VIII. p. 128. Bip. *Dicam pro universa analogia, cur non modo videatur esse reprehendenda, sed etiam cur in usu quodam modo sequenda:* cui non confidebat Drak. ad IV, 21. Cicero Cat. c. 16. *Ad quem fruendum non modo retardat, verum etiam invitat.. senectus.* Ita e veterrimis duobus Nonii Codd. laudat Cortius ad Plin. Ep. VIII, 7. Omnes editt. *non retardat.* *) Nec deest Graecorum auctoritas. Thucydides I, 35. *Τῶνδε δὲ οὐχ ὅπως κωλυταὶ ἐχθρῶν ὄντων καὶ ἐπιόντων γενήσεσθε, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς ὑμετέρας ἀρχῆς δύναμιν προςλαβεῖν περιόψεσθε.* Lysias adv. Nicom. p. 862. (ap. Viger. p. 432. Her.): *Ἀλλ' οὐχ ὅπως ὑμῖν τῶν αὑτοῦ τι ἐπίδωκεν, ἀλλὰ καὶ τῶν ὑμετέρων πολλὰ ὑφήρηται.* Est etiam apud Dionys. Hal. *μὴ μόνον, ἀλλὰ καὶ*

*) Tota haec quaestio eiusmodi est, ut a nemine pertractari possit, nisi qui opulentae bibliothecae assideat. Tanta licentia grassata est editorum in mutandis locis (imprimis Ciceronis)! Quare non mirum, loca, ad quae quondam provocarunt Muretus et Graevius, omnia nunc mutata reperiri, neque tamen apparere, utrum e coniectura, an Codd. auctoritate.

plus semel, ubi, ut in Thucydidis loco Bauerus, negationem addendam censet Aem. Portus.

De Gallis accedentibus ad urbem legitur libro quinto c. 39. *Quum praegressi equites non portas clausas, non stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris retulissent, aliud priori simile miraculum eos sustinuit; noctemque veriti et ignotae situm urbis, inter Romam atque Anienem consedere, exploratoribus missis circa moenia* ALIASQUE *portas, quaenam hostibus in perdita re consilia essent.* Diu me h. l. delusit, adeo ut variis eum coniecturis tentarem, illa quidem *aliasque partes* *) nihilo peioribus. Quas quid referre attinet cum sensus sanus sit? Fons mirae loquendi rationis a Homero est repetendus; inde crebro eius usus est apud Platonem, Xenophontem, aliosque Atticos; crebro etiam apud Livium. Ac rationem Homericam vel Platonis locus ostendat Alcib. 112. B. *Καὶ αἱ μάχαι γε καὶ οἱ θάνατοι διὰ ταύτην τὴν διαφορὰν τοῖς τε Ἀχαιοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις Τρῶσι ἐγένοντο.* Respicit locum, qui nunc non exstat in Iliade. Nisi huc trahis Il. η. 46. (non plane similem.)

ἄλλους μὲν κάθισον Τρῶας καὶ πάντας Ἀχαιούς,
αὐτὸς δὲ προκάλεσσαι Ἀχαιῶν ὅστις ἄριστος·

---

*) Legimus eam in *Bibliotheca philologica Götting.*

Similia sunt, Odyss. π. 264.

ἐσθλώ τοι τούτω γ' ἐπαμύντορε, τοὺς ἀγορεύεις,
ὕψι περ ἐν νεφέεσσι καθημένω· ὥτε καὶ ἄλλοις
ἀνδράσι τε κρατέουσι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

Odyss. υ. 185.

Τοῖσι δ' ἐπὶ τρίτος ἦλθε Φιλοίτιος, ὄρχαμος ἀνδρῶν,
βοῦν στεῖραν μνηστῆρσιν ἄγων καὶ πίονας αἶγας·
πορθμῆες δ' ἄρα τούς γε διήγαγον, οἵτε καὶ ἄλλους
ἀνθρώπους πέμπουσιν, ὅτις σφέας εἰςαφίκηται· *)

Haec, aliaque eiusmodi loca haud dubie nuper respexit Wolfius V. C. Platonis Phaed. c. 19. explicans: *Ἐγὼ γὰρ .. εἰ μὲν μὴ ᾤμην ἥξειν πρῶτον μὲν παρὰ θεοὺς ἄλλους σοφούς τε καὶ ἀγαθούς, ἔπειτα καὶ ἀνθρώπους τετελευτηκότας* etc. ubi vide quae notantur. **) Iam ad Latinos transeamus. Liv. II, 17. *Ceterum nihilo secius foede, dedita urbe, quam si capta foret, Aurunci passim principes securi percussi; sub corona venierunt coloni alii.* Notat Drakenb.: „Duiatius non male do„cuit vulgatum servari non posse. Distinguen„do enim poenam Auruncorum principum a poe„na colonorum aliorum Livius indicaret, Aurun-

*) Adde haec Lex. Hom. diligentissimi Dammii.

**) Alia Atticorum loca dabunt VV. CC. Boeckh. ad Min. p. 146. Heindorf. ad Phaed. p. 234. (Sturz L. X.) et Buttmannus in Indice ad Plat. Dial. IV. ed. Biest.

„cos principes etiam colonos Pometinos fuis-
„se. Quod verisimile non est. Interpungit ita-
„que hoc modo: *venierunt coloni, alii.* Verum
„ita Codd. lectionem *coloni aliique* praefer-
„rem." Bene, quod non praetulit. Plato Gorg.
64. ζηλωτὸς ὢν καὶ εὐδαιμονιζόμενος ὑπὸ τῶν πο-
λιτῶν καὶ τῶν ἄλλων ξένων. Liv. IV, 40. *Eo missa plaustra iumentaque alia ab urbe, exercitum affectum proelio.. excepere.* XXI, 27. *Ibi raptim caesa materia ratesque fabricatae, in quibus equi virique et alia onera traiicerentur.* XXV, 13. *Duo millia plaustrorum inconditam inermemque aliam turbam advenisse* etc. Satis apparet ex exemplis, quae posuimus, non simpliciter redundare vocem, ut visum est nonnullis, potius ad augendam sententiam facere, v. c. apud Liv. „circa moenia et alia opportuna loca, veluti por-
„tas": apud Hom. „Graeci et alii praeter hos,
„Troiani" etc. At non substitisse in hoc loquendi usum, additamque vocem saepius paene expletivae vicem obtinere, plura sunt loca (imprimis apud Tragicos), quae dubitare non sinant.

Difficilis et obscurus locus est eodem libro c. 46. De Camillo loquitur: *Accepto inde SCto ut et comitiis curiatis revocatus de exsilio iussu populi Camillus dictator extemplo diceretur, militesque haberent imperatorem quem vellent, eadem degressus nuntius Veios contendit:*

missique Ardeam legati ad Camillum Veios eum perduxere: seu (quod magis credere libet, non prius profectum ab Ardea, quam comperit legem latam; quod nec iniussu populi mutari finibus posset, nec nisi dictator dictus auspicia in exercitu habere,) lex curiata lata est dictatorque absens dictus. Notavit ad h. l. Dukerus: „Quid sit *mu-* „*tari finibus* docet Gronovius Observ. III, 1. „Vellem etiam explicuisset sensum huius perio- „di, quem plane non assequor". Cuius viri voluntati cum neque Drakenborchius satisfecerit, neque alius quisquam recentiorum interpretum, operae pretium erit paullo curatius disserere de loco. Ac primum meminerimus duplicis, quae olim obtinuit, famae de reditu Camilli: cuius licet pauca relicta sint vestigia, in tanta iactura historicorum, tamen qualis fuerit perspicue intelligitur. Fuerunt qui traderent, Camillum, postquam fama obsessi Capitolii pervenerat Ardeam, ubi exsulabat, sive sua ipsius voluntate, sive invitatum a populo, profectum Veios ducem se militibus praebuisse: inde devictis Gallis revocatum ab exsilio triumphantem urbem ingressum esse.*)

*) Plura sunt vestigia eius apud auctores qui adhuc exstant, imprimis minores; apud nullum clarius expressa quam apud Io. Sarisberiensem Policr. Lib. V. p. 277. *Camillus ingratae compatiens patriae eosdem* (Gallos) *cecidit, aurum abstulit, Romanorum aquilas reportavit. Itaque ab exsilio revocatus tertio triumphans urbem ingressus est, et appellatus secundus Romulus* etc.

Famae huius, etsi obscure, vestigia apparent XXII, 3. ubi *a Veiis accitus a patribus* dicitur: item XXII, 14. Eo enim quî pervenire potuisset Camillus, nisi mutato ante exsilii loco? Hoc scil. dicere expediebat loquenti (V. Drak.). Ab hac autem sententia ita alienum se h. l. prodit religiosus auctor, cui salus civitatis inniti videbatur patrum moribus rite servatis, ut ne illorum quidem accipere velit, qui contenderant, allato SC^to^ Veios, Camillum eo adductum esse ab Ardea, quo *praesens* dictator imperatorque crearetur. Clare demonstrant ultima loci verba. *Magis credere libet,* inquit, *non prius profectum esse ab Ardea, quam comperrerat legem* (curiatam) *latam, dictatoremque se absentem dictum, quam* (quod tradiderant quidam) *profectum esse* etc. Iam igitur (ut haec verba conciliemus cum prioribus, quibuscum pugnare videntur;) quo locò comitia curiata habita esse putabimus, quibus et de exsilio revocaretur, et imperator idem dictatorque crearetur? An in Capitolio (ut innuit XXII, 14.) hominum paucitate fortasse per triginta lictores? quasi verbis *ut et comitiis curiatis* *r e v o c a t u s* *de exsilio iussu populi Camillus dictator crearetur* voluerit *qui revocatus esset?* Ita ceperat haud dubie Dukerus. At repugnant postrema, quae posuimus verba. Ipsis Veiis totam rem peractam esse clare voluit, sed obscurius dixit Livius; denique ut verbo tenebras dispellamus, *revocatus* non est *qui revo-*

catus sed *si revocatus esset* *). Quare locum paullo fusius ita explicare licebit:" Postquam factum „erat SCtum, ut auctoritate senatus Camillus comi„tiis curiatis habendis, si prius de exsilio revoca„tus esset, et dictator crearetur iussu populi, et im„perium militare obtineret, nuntius Veios con„tendit: indeque statim Ardeam missi sunt lega„ti ad perducendum Veios Camillum, nondum „habitis comitiis, (quo praesens sc. et revocare„tur de exsilio et dictator imperatorque creare„tur,) sive habita sunt prius comitia, et lex curiata „lata est de exsilio et de imperio eius; id quod „sibi magis probari dicit scriptor, quod nec in„iussu populi mutari finibus posset Camillus, nec „nisi dictator dictus auspicia in exercitu habere." Sed quod in hac explicatione caput rei est, „co„mitia curiata Livii sententia Veiis habita esse", huic sententiae anne ipse adversatur Camillus V, 52? *Comitia curiata*, inquit, *quae rem militarem continent, comitia centuriata, quibus consules tribunosque creatis, ubi auspicato nisi, ubi adsolent, fieri possunt? Veiosne haec transferemus? An comitiorum causa populus tanto incommodo in desertam hanc ab diis hominibusque ur-*

*) Quantum positum sit in participio recte accepto, memorabile exemplum videbimus IX, 10. Sic explica Taciti *Agr.* c. 20. quem locum emendavimus *Meletemat. Spec.* p. 10. explicuimus non item.

*bem conveniet?**) Sane videatur ita primo adspectu: sed scriptori sub aliena persona ῥητορικῶς magis quam ἀληθινῶς loquenti, opponamus Livium vere et sua persona loquentem III, 20. *Igitur tribuni, ut impediendae rei nulla spes erat, de proferendo exitu* (ita scribe) *agere. Eo magis, quod et augures iussos adesse ad Regillum lacum fama erat, locumque inaugurari, ubi auspicato cum populo agi posset; ut, quidquid Romae vi tribunicia rogatum esset, id comitiis ibi abrogaretur.* Hunc timorem si non hominibus e plebe sed tribunis tribuere potuit scriptor, quid ipsum statuisse probabile erit? Scil. comitia curiata et centuriata nullo non loco haberi potuisse, ubi populus esset: id quod evincit rei ratio.

In gravi Appii Claudii Crassi oratione contra tribunos Licinium Sextiumque libro sexto c. 41. legitur: *Quomodo extorqueant, non quomodo petant honores, quaerunt: et ita maxima sunt adepturi, ut nihil* NE PRO MINIMIS *quidem debeant:* ET *occasionibus potius quam virtute petere honores malunt.* Omnes Codd. pertinaciter conspirant in vulg. lectionem; cuius sensum, si quid video, unice perspexit Coetierius, sed adeo male

*) Usus est hoc loc perill. Niebuhr in eximio opere Hist. Rom. II, p. 277. vix scripturus quae ibi proferuntur, si alterius meminisset.

le probavit, ut pro non dicta sententia eius haberi debeat *). Voluit Livius: „Ita accepturi sunt „illi honores summos (praeturas, consulatus), „ut nihil pro his debeant, ne quidem quod dig„num sit minimis". Exquisitiorem hunc usum praepositionis, quae similitudinem exprimit s. comparationi inservit, (quae nollem Forcellinus L. L. in duo distraxisset;) satis ostendit Tacit. Ann. XIV, 53. *Ampla quidem, sed pro ingentibus meritis* (digna ing. m.) *praemia accepere.* Liv. XXXVII, 58. *Pecunia nequaquam pro specie regii triumphi* etc. XXIV, 2. *Ea cura angebat.. ne quid non pro sociis egisse viderentur.* Iam his postrema *et occasione potius* etc. explicandi causa sunt adiecta; non est transitio, quae forsitan videatur. Nam particulam *et* saepius poni apud veteres, non ut copulativa sed ut explicativa eius vis sit, etsi notatum est hic illic a viris doctis (v. c. a Wolfio ad Tac. An. I, 57. Wyttenbachio B. C. III, 3. p. 103.), nondum tamen id ita pervulgatum est, ut plurimis locis, suspicionibus criticorum obscuratis, sua lux oriretur. Duplicem eius usum notavimus: et ubi integrae enunciationes adduntur prioribus, et in media oratione. Vtriusque generis loca aliquot vindi-

*) Nimirum tam pravis exemplis usus est v. d. uti merito dixerit Drak.: „Coetierii expositionem non facile aliquem probaturum credo".

cabimus. VELLEIUS PAT. II, 7. *Factum Opimii, quod inimicitiarum quaesita erat ultio, minor secuta auctoritas: et visa ultio privato odio magis quam publicae vindictae data.* SALLUST. Cat. 15. *Neque tamen senatus provinciam* (Pisoni) *invitus dederat; quippe foedum hominem a rep. procul esse volebat: simul boni.. praesidium in eo putabant: et iam tum potentia Cn. Pompeii formidolosa erat.* Sic explicandus TACITUS Hist. I, 7. *Ceterum utraque caedes sinistre accepta: et inviso semel Principe, seu bene seu male facta premunt.* Non fit transitus per particulam, ut visum Ernestio, sed explicatio, quasi dixisset: „nimirum si „semel invisus est Princeps; tum sive bene si„ve secus fecerit, facta eum premunt". Nam *premere* absolute poni intellecto casu pronominis, ne quis aliena cogitet v. g. *premunt homines*, ut nuper nescio quis (in Tacito explicando plus iusto Heautontimorumenos), unus Ovidius demonstret: *Et premente Deo, fert Deus alter opem.* Tacitus ipse Ann. III, 68. v. Gronov. ad Liv. XXXIV, 31. Ita intellige Livii loca v. c. XXXV, 16. *Sed facta vestra orationi non conveniunt: et aliud Antiocho iuris statuistis, alio ipsi utimini.* V. 22. *Ea sola pecunia in publicum redigitur, haud sine ira plebis: et quod retulere secum praedae Liciniae familiae acceptum referebant.* Similiter Graeci. THUCYDIDES I, 90. *Καὶ ἐς τὴν Λακεδαίμονα ἐλθὼν οὐ προςῄει πρὸς τοὺς ἀρχάς, ἀλλὰ*

διῆγε καὶ προυφασίζετο· καὶ ὁπότε τις αὐτὸν ἔροιτο.. ἔφη etc. Alterum genus, et ipsum crebro in corruptelae suspicionem vocatum, e Ciceronis loco intelligitur Verr. Act. I, 6. *Praeclare se res habebat. Libelli nominum vestrorum* (iudicum) *consiliique huius erant in manibus omnium.* Hinc explicandus TACITUS An. III, 28. *Sexto demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae Triumviratu iusserat, abolevit; deditque iura, quis pace et Principe uteremur. Acriora ex eo vincula: inditi custodes,* ET *lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret.* Quaerit ERNESTIUS, quos tandem intelligat Tacitus *custodes inditos*, cum nulli ab Augusto sint inditi: inde emendando succurrit sententiae; frustra. Hos ipsos, praemiis inductos lege P. P., intelligit *custodes*, et potuerat scribere „nimirum lege P. P. praemiis inducti." *Custodes* autem dicit respiciens magis conditionem illorum hominum sequenti tempore, quam quae esset sub Augusto. *Nam* (pergit) *altius penetrabant, urbemque et Italiam, et quod usquam civium corripuerant: multorum status excisi, et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio* etc. praecipiens illa voce, quae dicturus erat: quo in genere orationis recte aestimando etiam alibi minus feliciter Tacitum tractavit Ernestius. Similis est locus, similis correctio Erne-

stii Hist. III, 16. *Dum Antonius ... consultat ... Arrius Varus cum promptissimis prorupit, impulitque Vitellianos, modica caede: nam plurium accursu versa fortuna,* ET *acerrimus quisque sequentium fugae ultimus erat. Nec sponte Antonii properatum;* ET *fore, quae acciderant, rebatur.* Notavit Ernestius: „Ita vero decet fortes viros. An vero „ea laus h. l. consentiens? Imo dicere voluit *acer-* „*rimus sequentium* paullo ante *primus* nunc fugae „erat: quae sententia et alibi occurrit. Mox *et* ante „*fore* abest ed. pr.". Sane occurrit, non tamen ut praecedat *acerrimus;* potius *levissimus,* aut simile verbum. Dein non animadvertebat, *et* non copulam esse sed explicativam particulam. Hinc is sensus emergit, plane dignus Tacito: „Arrius im- „pulit primum Vitellianos modica caede: sed cum „plures accurrerent, versa fortuna (et caedes) in „Vespasianos: nam qui acerrimi fuerant sequen- „tium, tum in fuga maxime resistentes, insignio- „rem fecere iacturam." Ita explica II. Hist. 34. *Claudebat pontem turris, et in extremam navim educta.* Ann. VI, 31. *Addita contumelia et missis.* Ann. XIII, 42. *SCtum poenaque Cinciae legis.* Livius II, 56. *Facile et contemtim de iure disserendo perturbare Laetorium poterat.* Recte explicuit Strothius „quippe", in quo male haeserant Gronovius, Drakenb.. Thucydides I, 21. *Ἐκ δὲ τῶν εἰρημένων ὅμως τοιαῦτα ἄν τις νομίζων μάλιστα ἃ διῆλθον, οὐχ ἁμαρτάνοι· καὶ οὔτε*

ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν, ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες, μᾶλλον πιστεύων, οὔτε ὡς λογόγραφοι ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον, ὄντα ἀνεξέλεγκτα καὶ τὰ πολλὰ ὑπὸ χρόνου αὐτῶν ἀπίστως ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐκνενικηκότα. Notat fabularum scriptores, qui maiore iucunditatis quam veritatis studio res tradiderint, „quae „sane refelli non possint, quippe quae maximam „partem incredibiliter in fabulas evaluerint". Similis est professio Socratis in Platonis Phaedro.

In Pontii Samnitis oratione IX, 11. legitur: *Non probat Pop. Rom. ignominiosa pace legiones servatas? PACEM SIBI HABEAT. Legiones captas victori restituat. Hoc fide, hoc foederibus, hoc fetialibus cerimoniis dignum erat.* Mira interpretum dissensio effecit, ut a nemine, quod sciam, locus satis intellectus sit. Scripsit GRONOVIUS P.: „Hac formula *sibi habeant* utitur; qui, quod „non habet ipse, cum habeant alii teneantque, eo „se facile carere testatur". Atqui hoc repugnat sententiae, quae exigit „pacem, quam dedit, reci„piat". Quare locum in mendo cubare suspicatus, coniecit *Pacem ne sibi habeat.* Hoc sensu: „non cogimus Pop. Rom., ut invitus quam pe„pigimus pacem, ratam habeat; legiones captas „victori restituat: res sint in integro"; recto sane et eleganti: at neque exemplum proposuit egregius vir formulae non usitatae, neque correctio-

nis necessitatem ei approbabit, qui, quae origo, qui fons sit translationis cognoverit. Gronovio obvertit Dukerus Terentii Phorm. II, 3, 87. *Si concordabis cum illa, habebis quae tuam senectutem oblectet*; *respice aetatem tuam.* Ad quae iratus senex: *Te oblectet, tibi habe.* „Qui *tibi* „*habe* dicit, alterius arbitrii facit, quomodo re, „quam illum sibi habere iubet, uti velit". Imo simpliciter reiicit quod offertur. Eodem iure Gronovio obiici poterat Catulli

Quare habe tibi quidquid hoc libelli est.

et gladiatorium illud *habet* illustratum Gronov. P. Observ. II, 25. denique ipsius Livii XXVI, 50. *Aurumque tollere ac sibi habere iussit.* At frustra sit, qui haec ad explicandum locum adhibeat. Iam mirum profecto, nemini in mentem venisse *Habe tibi res tuas* formulam solemnem in discessione coniugum, ubi dos reddebatur uxori *). Ad hanc si respexisse putamus Livium, res patet. Samnis — si omnia placet ad vivum resecare — validiorem se cogitat cum infirmiore Romano, quasi maritum cum uxore, pactum

*) Crebro eius mentio est apud Veteres v. c. Ciceron. Philipp. II. *Illam suas sibi res habere iussit ex XII tabulis: claves ademit, forasque exegit.* Apuleius Metam. III. *Tu quidem, inquit, tibi istud tam dirum facinus! Confestim toro meo diverte; tibique habe res tuas,* quibus locis et alii multi usi sunt et l. Guilielmus Veris. I, 2. Adde Plauti Amph. III, 2, 4.

pepigisse; ita ut bello finito coniunctio esset inter utrumque. Ipse cum voluntatis suae documentum ostendisset servatas legiones, probata conditione, quasi dotem societatis initae acceperat pacem s. iureiuranda, sponsiones consulum, reliqua. Iam cum factum id improbaret senatus Rom., pactionem inscio se conventam ratam non esse causatus, tum Samnitium dux, ut res in eodem, quo ante fuerint, statu sint flagitare, ut *pacem* P. R. *sibi habeat* h. e. recipiat, et ut dirimatur societas, contra praemium pacis acceptae legiones restituantur. Haec enim una formulae significatio, inter tot diversas, quas permiscuere vv. dd., sententiae convenit. Et ita utitur ea Plautus Trin. II, 1, 32.

CAPUT QUARTUM.

Livii loca plura e libro XXI. explicata. Perfecto ἀορίστῳ iungitur perfectum ἀόριστον. Grammaticorum regulae de ablativis absolutis. Curtius et Livius obiter emendati. Particulae non usus quidam. Curtius, Tacitus, Rutilius vindicati. Attractio substantivorum et relativi. Participia praesentis loco participiorum perfecti. Tacito vetus lectio vindicata. Difficilis locus c. 36. interpretando, emendando, interpungendo illustratus. Vt iam, iam ut, si iam. Caesar (leviter) correctus. Tacitus explicatus: Qui erant ex speculis prospicerent. Iam ad augendam vim comparativi. Cicero obiter emendatus.

Iuvat porro versari in Livii locis illustrandis, dissensu interpretum obscuratis. Exempla unus nunc suppeditabit liber vigesimus primus.

Initio h. l. legitur: *Et haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico conferebant bello; et adeo varia belli fortuna ancepsque Mars fuit, ut propius periculum fuerint, qui* VICERUNT. *Odiis etiam prope maioribus* CERTARUNT *quam viribus, Romanis indignantibus* etc. Conie-

cit Vossius V. C. *) *qui vicerant.* Quod adeo non concedimus egregio viro, ut, si ita scripsisset Livius, insolentius eum scripsisse putaremus. Nam quae praecedunt tempora *fuit*, *fuerint* cum rem non modo completam significent, sed ponantur *ἀορίστως*, his recte se adiungit *ἀόριστος vicerunt;* vix poterat hoc loco relativum tempus. Simillima sunt XXII, 20. *Qui vere ditionis Ro. facti sunt obsidibus datis, fuerunt populi amplius centum* etc. XLI, 31. *Qui superfuere proelio, in oppida sua dilapsi sunt.* XXIII, 19. *Ex quingentis septuag. qui in praesidio fuerunt, minus dimidium ferrum famesque absumpsit.* Sic intelligendus XL, 17. Vix alius est scriptor ab hac parte saepius male tentatus. XLI, 8 (12). *Moverunt senatum et legationes socium, quae et priores consules fatigaverunt.* Perperam Gronovius P. c. *fatigaverant* probante Drak.. Idem falsus XXV, 29. *Quos fors obtulit irati interfecerunt, atque diripuere.* Malit *interficere* et *diripere.* XXIX, 23. *Haud parvum momentum et ipsi adiecerunt societatem Syphacis regis, cuius fiducia traiecturum Rom. crediderunt.* Frustra Dukerus malebat, *crediderant.*

*) Exstat haec c. cum aliis pluribus (plane egregiis) in duobus libellis, qui inserti sunt *Wideburg.* Humanist. Magazin. III, 4. p. 289—300. V, 3. p. 239—247. a nullo recentior. editorum ad usum vocati.

XLII, 29. *Ariarathes ex quo* **est iunctus** *Eumeni affinitate, in omnia se consociaverat consilia.* Coniecit CREVIERIUS *erat*. Similiter PERIZONIUS XLIV, 11. ubi iunctum est perfectum ἀόριστον plusquamperfecto, STROTHIUS IX, 40. ubi iunctum est imperfecto, BAUERUS I, 18. ubi iuncta sunt duo perfecta, et alibi. Dudum et alii grammatici veteres et PRISCIANUS VIII. p. 814. Putsch. *Sciendum tamen, quod Romani praeterito perfecti non solum in re modo completa utuntur, in quo vim habet eius, qui apud Graecos παρακείμενος vocatur, quem Stoici τέλειον ἐνεστῶτα nominaverunt; sed etiam pro ἀορίστου accipitur, quod tempus apud Graecos tam modo perfectam rem quam multo ante significare potest.... Evander nimirum apud Virgilium in VIII. de matre sua dicit: „Cecinit quae prima futuros Aeneadas magnos* etc. *Cecinit dixit pro cecinerat.* — Elegans altera VOSSII coniectura est: *Odiis etiam prope maioribus* CERTATUM *quam viribus* etc. Sed elegans, non necessaria, correctio: licet sequatur *Romanis indignantibus* etc. Nihil impedit, quo minus capiamus *certarunt* impersonaliter *). Ce-

---

*) Vt ne opus sit confugere ad illud Ciceronis: *Nobis vigilantibus, et multum in posterum providentibus, pop. Rom. consentiente, erimus profecto liberi brevi tempore;* apud Sanct. II, 7. et quae alia habet (sed certa mixta incertis) Vossius Ar. II, 504. Neque Graecis ea negligentia incognita. *Thucyd.* I, 10. Ὅμως δὲ οὔτε ξυνοικισθείσης

terum hac ratione corrigendus est corruptus CURTII locus V, 1, 29. in descriptione Babylonis: *Pons lapideus flumini impositus iungit urbem. Hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus est. Quippe Euphrates altum limum vehit; quo penitus ad fundamenta iacienda egesto, vix suffulciendo* (ita scribe cum Bongarsio pro *sufficiendo*) *operi firmum* REPERIVNT *solum.* Coniecerunt viri docti *repererunt.* Scribe REPERTUM. Nonnihil dubitationis iniicit nobis *Livii* locus IX, 22. tamquam eodem modo corruptus: *Omnes qui circa* (imperatorem Samnitium) *erant, in Aulum temere invectum per hostium turmas tela coniecerunt. Fratri* (interfecti imperatoris) *praecipuum decus ulti Samnitium imperatoris* DEDERVNT. *Is victorem detractum ex equo magistrum equitum plenus moeroris atque irae trucidavit.* Sententia requirere videtur vel DEDITUM, vel DII DEDERUNT, ut XXX, 30, 22. XXX, 12, 12. et saepius.

Cap. 2. *Medius Hasdrubal inter patrem et filium octo ferme annos imperium obtinuit, flore*

πόλεως, οὔτε ἱεροῖς καὶ κατασκευαῖς πολυτελέσι χρησαμένης, κατὰ κώμας δὲ τῷ παλαιῷ τῆς Ἑλλάδος τρόπῳ οἰκισθείσης, φαίνοιτ' ἂν ὑποδεεστέρα. Nemo cum Bauero scribet ὑποδεέστερα, qui meminerit VII, 48. *Χρημάτων γὰρ ἀπορίᾳ αὐτοὺς ἐκτρυχώσειν, ἄλλως τε καὶ ἐπὶ πλέον ἤδη ταῖς ὑπαρχούσαις ναυσὶ θαλασσοκρατούντων.* Habet h. l. et plura alia Matthiae V. C. in gr. Gr.

aetatis (uti ferunt) primo Hamilcari conciliatus, gener inde ob altam indolem provecto annis adscitus. I. Lipsii haec emendatio, cum vulgo legeretur *profectus animi*; adeo probata Gronovio P. ut Livium ita scripsisse, nec aliud quaerendum esse pronuntiaret. Negat tamen Dukerus se videre, „cur Livius tamquam rem memorabi-„lem, aut magnopere ad historiam pertinentem „adnotare voluerit, Asdrubalem ob altam indo-„lem demum ab Hamilcare generum adscitum"; qui scil. ipsi iam *in flore aetatis* conciliatus fuerit. Quare propter concinnitatem membrorum legere malebat *gener inde provectior annis adscitus.* Alia molitus est v. d. nuper (in *Diatribe in Liv.* Act. Traiect. To. III. p. 195.), emendans *a praefecto morum adscitus.* Neuter vidit ablativum *flore* non tempus sed causam et instrumentum significare. Cic. Phil. II, 2. *Non venirem contra gratiam, non virtutis specie sed aetatis flore collectam?* etc. Quo sensu et alibi voce utuntur Romani.

Cap. 7. *Civitas ea* (Saguntum) *longe opulentissima ultra Iberum fuit, sita passus mille ferme a mari. Oriundi a Zacyntho insula dicuntur,* mixtique *etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis.* Neque h. l. assentimur v. d. in Actis Traiect. III. p. 202. corrigenti *Oriundi a Zacynthō insula dicuntur, mixtique (nam ab Ardea Ru-*

tulorum quidam) generis. Non meminerat *miscere* frequenter uti Livium pro *admiscere*. XXXVII, 40. *Medi erant, lecti viri, et eiusdem regionis mixti multarum gentium equites*. XXI, 52. *Mille equites, Numidas plerosque, mixtos quosdam et Gallos populari omnem deinceps agrum... iussit* etc. Ceterum, sive repetimus ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ad *mixtique* „dicuntur", sive ponimus distinctionem maiorem post *dicuntur*, ut sit *mixtique sunt*, hoc sane certissimum, „mixti" esse primum, non secundum (quod putabat) casum.

Cap. 8. *Nihil tumultuariae pugnae simile erat, quales in oppugnationibus urbium per occasionem partis* ALTERIUS *conseri solent: sed iustae acies, velut patenti campo constiterant.* Alterius si quis pro *alterutrius* acciperet, esset quo sententiam tueretur. XL, 20. *Hos tamquam medios nec in alterius* (neque Persei neque Demetrii) *favorem inclinatos miserat rex.* Ibid. c. 8. *Eousque me vivere vultis, donec alterius vestrum superstes haud ambiguum regem alterum faciam.* Notavit ex Cic. Acad. II, 43. etiam Ernest. in Clav. et Forcell. h. v. At pugnae tumultuariae in urbium oppugnationibus numquam fieri solent per occasionem utriusque partis, sed unius oppugnatae. Quare haec vera l. interpretatio, ut *pars altera* sit, quod *pars adversa* XXIII, 29. *acies altera* V, 38. *fortuna altera* IX, 17. *pars altera* IX, 23.

Haec autem quae sit in urbium oppugnationibus num ambiguum reliquit? Imo idem dixit quod V, 26. *Interdum per occasionem impetus oppidanorum in Romanas stationes proelia parva fieri;* ne porro quis fidem habeat Ernestio et Strothio.

Cap. 10. *Hanno unus adverso senatu caussam foederis magno silentio propter auctoritatem suam, non adsensum audientium egit.* Revoca cum Vossio antiquum *non adsensu;* quod, cum cetera probabiliter emendaret Rubenius non debebat sollicitari. Exquisitior est illa constructionis varietas, et scriptori impense adamata. Codd. omnesque edition. ante Rubenium exhibent *cum adsensu.* Est tamen, qui dubitet de veritate Rub. correctionis. Nimirum levicula re deceptus, quae et alios vv. dd. passim male habet. XL, 15. *Id enim* (ut patre indignus videar) *vitiis, non cedendo cui ius fasque est, non modestia consequar.* Recte explicuit Drak. Tamen iterum haesit Goth. editor in illo „non autem consequar cedendo, non c. mode„stia". Non intellexit Heumannus Curtii locum III, 12, 10. *Ea ipsa res turbaverat feminas, quod irrupisse, non admissus videbatur.* Cepit quasi esset *irrupisse repulsus,* immemor moris Persici, quo *admissi* tantum ad reges introducebantur. Notabilior est locus Taciti Germ. c. 2. *Ceterum Germaniae vocabulum recens, et nuper additum, quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos ex-*

pulerint, ac nunc Tungri (vocentur), *tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen,* NON *gentis evaluisse paullatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.* Ne literam quidem velim mutari; ita sana sunt omnia et digna Tacito. At neque, quid sit *nomen nationis evaluit, non gentis,* neque, quid sit *a victore appellari* cogitarunt, qui nuper locum corruperunt *). A Rutilio Lupo I, 6. p. 22. Ruhnk. affertur ad illustrandum σχῆμα epanodi dictum Theophrasti, more eius libere, sed elegantissime expressum: *Prudentis esse officium probatam amicitiam appetere, non appetitam probare.* Postrema si ita resolvis „non „tum demum probare, cum appetierit", idem apparet a Rutilio expressum, brevius modo et concinnius, quam quod e Theophrasto laudat Plutarch. de frat, Am. p. 482. B. *Τοὺς μὲν γὰρ ἀλλοτρίους ὥς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν·* Habet etiam Cic. de Am. c. 22. quae loca ipse attulit Ruhnkenius. Quae igitur ratio fuit, cur Rutilii sententiam stultam appellaret vir summus, negationemque ante

*) Scribendo *nationis nomen in nomen gentis* et probando *a victis.* Commode explicabis: „Ita unius populi no-„men, non autem gentis universae nomen paullatim hominum „usu vim obtinuisse; ita ut Germaniae incolae primum se-„cundum victores Tungros ab iis, qui sibi metuebant ab illis, „mox a semetipsis invento nomine Germani appellarentur".

appetitam suaderet textu pellere? Eadem forsitan, quae permovit Forcellinum exempla insolentioris scil. usus e Varrone et Vlpiano petere. Atqui negationem saepius ad verbum referri, non ad nomen cui iungitur, exempla docent optimi cuiusque.

Cap. 18. *Romani postquam Carthaginem venerunt, quum senatus datus esset, et Q. Fabius nihil ultra quam unum quod mandatum erat percunctatus esset, tum ex Carthaginiensibus unus* etc. Miror praestantes viros BAUERUM et VOSSIUM coniecisse *Romanis*. Quod non praeferam illi. Vel nota exempla

Eunuchum quem dedisti, quas turbas dedit,

et

Vrbem quam statuistis, vestra est.

ab ea coniectura revocare debebant. Cui ne quis defensionem petat ab usu prosae orationis, illa construendi ratione imprimis gaudet Livius. V, 1. *Romanis etsi quietae res nuntiabantur, tamen . . . ita muniebant* etc. XLII, . . . *Consuli postquam ex alto conspecta classis spem fecit . . ab invectis iam portum audit.* XXI, 6. *Quibus si videretur digna causa, et Hannibali denuntiarent* etc. Sall. Iug. c. 30. Cort. *Patres probarentne tantum flagitium, an decretum consulis subverterent, parum constabat.* Id Cat. c. 11. *Huic quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit.* Cic. de N. D. III, 14. *Qui quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus:* ad

quem

quem loc. v. quae intelligens harum rerum vir congessit THOM. WOPKENS. Lect. Tull. p. 217. Quem praeterea offendat illa substantivi ad proximum verbum relatio, cum toties occurrant *dare, reddere, tradere* similiaque absolute? v. Cort. ad. Sall. Liv. XLII, 12. *Eo rem prope adductam, ut aditus et in Achaiam* (Perseo) *daretur*: ne quis TACITO imputet Germ. c. 45. *Diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen.* Similis correctio VOSSII, quam propter tantam viri auctoritatem non licet tacitam praetermittere, est XXII, 30. *Parentibus, inquit, Dictator, quibus te modo nomine, quo fando possum, aequavi, vitam tantum debeo.* Coniecit *quod fando p.* Nolim mutari relativum more Graecorum constructum. Horat. 1. Serm. 6, 15. *Notante, quo nosti, populo* etc. Liv. I, 29. *Tum raptim elatis, quibus quisque poterat.* IV, 39. *Quibus poterat sauciis relictis.* Terent. *Restitue in quem me accepisti locum.* V. etiam Gron. ad II, 57.

Cap. 28. *Elephantorum traiiciendorum varia consilia fuisse credo: certe variata memoria actae rei est. Quidam congregatis ad ripam elephantis tradunt ferocissimum ex iis irritatum ab rectore suo, quum refugientem in aquam nantem sequeretur, traxisse gregem: ut quemque timentem altitudinem destituerat vadum, impetu ipso fluminis*

in alteram ripam rapiente. Scio saepius participia praesentis vim tenere participiorum perfecti. Ita Liv. XXIII, 25. *Per idem tempus Romae quum A. Cornelius Mammula ex Sardinia provincia decedens retulisset* etc. XXIV, 7. *Inde Romam comitiorum causa veniens, in eum quem primum diem comitialem habuit, comitia edixit* (etsi de hoc l. contendere nolim). TACITUS Agr. c. 28. *Occiso Centurione et militibus .. tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus adscendere; et uno r e m i g r a n t e, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur.* Scriptum nuper est *remigante.* Notaverunt usum Casaub. et Wolf. ad Suet. Caes. 20. Voss. Ar. II, 233. Sed nondum ἀσυνδέτως iuncta vidi duo praesentis participia, quorum alterum designaret rem infectam, alterum perfectam. Eo referri non posse „opertum „humi iacentem", „exanimem ex equo labentem", quaeque alia habet Gronov. ad X, 35. Drak. ad VIII, 39. facile apparet. Quaerenda sunt similia h. l. Porro cui omnino hoc placere potest *refugientem in aquam nantem?* Friget *nantem,* quocumque verteris. Coniecit VOSSIUS *refugientem, et in aqua nantem.* Anne fuit? *Quum refugientem in aquam n a n d o i n s e q u e r e t u r, traxisse gregem. Nando,* ut nunc video, placuit iam BAUERO: ut mirer eum latuisse *insequeretur,* quo pariter et vestigia scripturae et sententiae vis ipsa ducebant.

Cap. 35. *Elephanti sicut* PRAECIPITES *per ar-*

ctas vias magna mora agebantur: ita tutum ab hostibus, quacumque irent, militem praestabant. Ingeniosa est Gronovii P. coniectura *principes*, e c. praecedente ducta. Nec contemnenda Vossii *sicut praecipue.* At e Cod. Flor. notatur *sicut per arctas praecipites vias*, quod spernere cetera huius libri bonitas, et alibi sanatis traiectione verborum inveterata vulnera, prohibet. Neque haec lectio emendatione Crevierii, sive ut addatur *que*, sive ut praeponatur *et*, opus habet. Rem expedient, quae simillima sunt loca, XLIV, 43. *Perpauci inde Pellam celerius, quia recta expedita via ierant, pervenerunt.* XLIII, 1. *Exercitum novo periculoso itinere inter exteras gentes duceret.* Alia habet (sed nullo delectu) Drakenb. ad I, 14, 7. Recentiores editores, qui, quid sit „praeceps agi" vix cogitaverint, nihil moramur.

Longe difficillimus hoc libro locus est c. 36.

Tetra ibi luctatio erat. ut a lubrica glacie non recipiente vestigium, et in prono citius pede se fallente, et seu manibus in assurgendo seu genu se adiuvissent, ipsis adminiculis prolapsis, iterum corruissent, nec stirpes circa radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset, erant; ita in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur. iumenta secabant; interdum etiam, tum infimam ingredientia nivem, et prolapsa iactandis in con-

tinendo ungulis penitus perfringebant: ut pleraque velut pedica capta, haererent in durata et alte concreta glacie.

Ita Drakenborchii editio locum exhibet; unde quot impedimenta obiiciantur legenti paene singulis verbis, quisque sentiet explicationem aggressus. Nos primum, quemadmodum sensum e Codd. lectionibus et vv. dd. coniecturis aliquot, recteque distinguendo restituendum censeamus, dein emendationum causas argumentaque persequamur. Scribimus:

Tetra ibi luctatio erat, ut a lubrica glacie non recipiente vestigium, et in prono citius pedes fallente: et seu manibus in assurgendo seu genu se adiuvissent, ipsis adminiculis prolapsi si iterum corruerent, nec (ne quidem) *stirpes circa radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset, erant; ita in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur. Iumenta secabant interdum etiamtum infimam ingredientia nivem, et prolapsa iactandis gravius in connitendo ungulis penitus perfringebant, ut pleraque, velut pedica capta, haererent in durata et alte concreta glacie.*

Ac primum procul dubio aliquantum consuluimus perspicuitati posito colo post *fallente*, ne porro coniungantur *ut adiuvissent*, qui error (etiam Drakenb.) ceteros peperit. Neque enim est coniunctio *ut*, sed adverbium. Voluit: „prout

„necesse erat ut oriretur a glacie lubrica, et in „prono etc. Ita I, 34. *Facile persuadet ut cupido honorum, et cui Tarquinii materna tantum patria esset;* quod monemus, ne quis (Heumannianum induens ingenium) malit vel repetitum *et*, vel in apodosi *ita*, quod usitatius quidem, sed non necessarium. *Pedes fallente* de verissima Drak. coniectura est. V. Duker. ad h. l. *Pedes se fallit* an Latine dicatur, nescio. Deinde revocavimus *prolapsi si* perperam mutatum a Drakenb., et e Codd. Flor. Men. Gud. scripsimus *corruerent* probatum etiam Vossio. Adminicula quae dicit (falso Strothius crustas glaciales cogitabat) manus, pedes sunt, quibus quisque se erigere conabatur. Quae quis *prolapsa* dicat? Imo homines dicuntur, si prolapsi cum adminiculis suis iterum corruerent, foedius corruisse, nulla circum ne stirpe quidem radiceve relicta, qua quis se sustinere posset. Ita plane Polyb. III, 45. To. I. p. 509. *Ὁι μὲν γὰρ ἄνδρες οὐ δυνάμενοι τὴν κάτω χιόνα διακόπτειν, ὁπότε πεσόντες βουληθεῖεν ἢ τοῖς γόνασιν, ἢ ταῖς χερσὶ προςεξερείσασθαι πρὸς τὴν ἐξανάστασιν τότε καὶ μᾶλλον ἐπέπλεον ἅμα πᾶσι τοῖς ἐρείσμασιν, ἐπιπολὺ κατωφερῶν ὄντων τῶν χωριῶν.* *Prolabi* de vacillantibus, (nolim ut cum Gronovio cogites *Folia prolapsa cadunt*,) iterum legitur XXII, 2. Iam his recte se adiungunt verba: *ita in tabida n. volutabantur*, quae perperam tracta ad priora sensum loci ob-

scurarunt. Coniunxerat Drak. *ut adiuvissent — ita vol.* In seqq. *iumenta etiamtum infimam ingredientia nivem* primum delevimus perversam distinctionem, non autem delemus cum Vossio *tum.* Sensus: „iumenta etiam eo adhuc tempore quo ingrediebantur inf. nivem". Vide Heusing. ad Off. II, 13. (Minus accurate Forcell. h. v. interpretatur *usque ad id tempus.*) Neque licet ea verba coniungere cum antecedentib. *volutabantur* (ut suasit Gronov.). Nam quae militibus tetrae luctationis fuit causa, ea nulla fuit, in nuda glacie ut volutarentur iumenta. Obstat etiam Polybii auctoritas. V. Drak. *Commitendo* denique est de coniectura Tanaq. Fabri, recte probata Dukero, Drakenb. Vossio. Sic, an tandem perpurgatus sit locus, unus omnium obscurissimus, iudicabunt periti.

Cap. 47. *Ea peritis amnis eius vix fidem fecerint. Nam neque equites armis equisque salvis tantam vim fluminis superasse verisimile est,* VT IAM *Hispanos omnes inflati transvexerint utres: et multorum dierum circuitu Padi vada petenda fuerant, qua exercitus gravis impedimentis traduci posset.* I. H. Vossius coniecit *etiamsi Hisp. omnes inflati transv. utres.* Quod si verum est, anne eadem medicina facienda erit XXXIV, 32.? *Etenim ut iam ita sint haec, quid ad vos Romani?* Item XLII, 12. *Arma vel tribus tantis exerciti-*

bus in armamentaria congessisse. Iuventutem, ut iam Macedonia deficiat, Thraciam subiectam esse. Sed haec loca veritatem vulg. lect. satis demonstrant. A Livio habet Curtius V, 8, 12. *Nisi forte satius est exspectare victoris arbitrium... ut iam malit ille gloriae suae quam irae obsequi.* Id. IX, 6, 6. *Credisne, inq., adventu magis hostium, ut iam in vallo consisterent, quam cura salutis tuae nos esse sollicitos?* Et inverso ordine III, 5, 7. *Iam ut* *) *ad Hellespontum penetrarent, classem, quatran seant, quem praeparaturum?* Hinc emendandus est Livius V, 54. *Quod quum sit, quae (malum!) ratio est expertis alia experiri, quum, iam ut virtus vestra transire alio possit, fortuna certe loci huius transferri non possit.* Vulgo sine sensu *quum iam, ut virtus vestra t. a. possit* etc. quasi alio tempore transire potuisset. Idem vitium est apud Caes. de B. G. III, 9, 6. *Pedestria esse itinera concisa aestuariis.... sciebant, neque nostros exercitus.. diutius apud se morari posse, confidebant. ac iam, ut omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimum navibus posse* **). Corrige: *ac, iam ut omnia* etc.

---

*) Non confundendum hoc cum *iam ut*, statim ut, quod habet Forcell. II, 457.

*) Recte Interpres Gr. *Πρῶτον μὲν γὰρ τὰς μὲν κατὰ γὴν ὁδοὺς ἕλεσι κατατέμνεσθαι, τὴν δὲ ναυτιλίαν διά τε τὴν τῶν χωρίων ἀπειρίαν, καὶ τὴν τῶν λιμένων ὀλιγότητα τοῖς*

Neque enim tum modo, sed omnino plurimum se navibus posse confidebant Galli. Quid? quod etiam simplex *ut* conditionem exprimens viros doctos subinde male habuit. Liv. V, 16. *Sic igitur libris fatalibus, sic disciplina Etrusca traditum esse, ut quando aqua Albana abundasset, tum si eam Romanus rite emisisset, victoriam de Veientibus dari.* Mirum haesisse Dukerum, cum ipse meminisset illius *si quando.* Tacit. Ann. IV, 38. *Ego me, P. C., mortalem esse et hominum officia fungi satisque habere, si locum principem impleam, et vos testor et meminisse posteros volo. Qui satis superque memoriae tribuent, ut maioribus meis dignum, rerum vestrarum providum.. credant.* Nulla est dubitandi causa. Hoc ipsum, quod quaerit Ernestius, *si* est *ut.* Alieniora sunt quae afferunt Crollius et Oberlinus. Denique v. Liv. XXXIX, 25, 7. *Quaerelae Thessalorum adiectae, quod ea oppida, si iam redderentur sibi, spoliata ac deserta redditurus esset.* Ceterum illud *ut* conditionale minus recte per *quamvis* explicatum reperimus ap. Gron. ad XXII, 25. XXIII, 27. Adiectum *iam* paene redundat.

Ῥωμαίοις κωλύεσθαι εἴδεσαν (l. ᾔδεσαν). ἔπειτα δὲ τοὺς Ῥωμαίους πολὺν παρὰ σφίσι χρόνον διὰ τὴν τῶν ἐπιτηδείων ἀπορίαν, μὴ δυνήσεσθαι μένειν ἐθάῤῥουν. πρὸς τούτοις δὲ κἂν πάντα σφισὶν ἐναντιῶνται (l. ἐναντιῶται), ὁμῶς (l. ὅμως) σφᾶς μὲν πλεῖστον τῇ ναυτικῇ δύνασθαι etc.

Cap. 49. *Extemplo et circa a praetore ad civitates missi legati tribunique... ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent; ubi signum datum esset, ne quis moram conscendendi faceret; perque omnem oram qui erant ex speculis prospicerent adventantem hostium classem.* Varie haerent viri docti h. l., alii scribentes *quidam*, alii aliter, quem explicandum non emendandum censemus. Legitima sane constructio, in qua nullus haereret grammaticus, erat „perque omnem oram qui erant in speculis, ex spe„culis prospicerent adv. h. classem". Ab hac ratione ita deflexit *βραχυλογίᾳ* ductus, ut in electione praepositionis potius verbi, quod animo obversabatur, quam relativi rationem haberet *). Eadem est analogia Lib. XXV, 2. ubi nuper haesit Gothanus editor: *Consules a bello intentos avocare non placebat.* An aliud voluit quam „in bel„lum intentos a bello avocare non placebat"? Ib. c. 7. *A Tarracina comprehensos omnes retraxerunt.* Sic explicandus est locus XXII, 57. *Sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quae Gallus et Galla.. in foro boario sub terra vivi de-*

*) Cepit nuper v. d. in Ephemeridib. lit. Ien. 1811. Tom. I. pag. 156. quasi dixisset Livius: „Per omnem oram „qui erant, iussit ut prospicerent". Sane dixit scriptor ex sua persona *erant.* Sed homines per oram sunt incolae orae, v. c. piscatores etc. et speculae belli tempore habent proprios suos nuntios.

missi sunt in locum saxo conseptum: in quo haerebat Dukerus. XXVII, 24. *In foro citatis senatoribus obsides imperavit.* Maluit Dukerus *in forum.* XXII. c. 59. *Sunt etiam de nostris, qui ne in acie quidem refugerunt.* Maluerunt „ex acie". XXV, 7. *Deductique in comitio virgisque adprobante populo caesi de saxo deiiciuntur*: qui locus varie tentatus est. Ita fortasse intelligendus VII, 25. *Adeo in quae* (ea quibus) *laboramus sola crevimus, divitias luxuriamque.* Nimirum hae similesque loquendi rationes, quae Graecos legenti libros fere oculis se ingerebant, et ad imitationem alliciebant, notandae, non ad vulgarem grammaticam exigendae sunt. Valet de his imprimis illud „aliud est grammatice, aliud Latine scribere".

Cap. 60. *Inde conciliata clementiae fama, non ad maritimos modo populos, sed in mediterraneis quoque ac montanis ad ferociores iam gentes valuit.* Nihil muto, etsi movet nonnihil Vossii auctoritas, substituentis *ad ferociores etiam. Iam* refer ad comparativum, cuius vim intendit. XXVII, 39. *Inter mitiora iam transibat ingenia.* Cicero Brut. c. XXV, 7. *Hoc in oratore Latino primum mihi videtur et lenitas apparuisse illa Graecorum et verborum comprehensio, etiam artifex (ut ita dicam) stilus.* Corrige: *et iam artifex.. stilus.* Impense placuit, quippe in loco centies sine suspicione fraudis lecto, *Spaldingio.*

CAPUT QUINTUM.

Quantum e MSS. lectionibus utilitatis Livio peti possit, aliquot locis emendatis ostenditur. Gronoviana lectio proprii unius ad tuendam Nolam praesidii ut ne latina quidem reiecta. Marcellus proconsulari imperio et legatus, et praetor, et propraetor. Portus Achaeorum et maritimae urbes an promiscue poni potuerint. Elegans veterum consuetudo locorum nominibus, quae instant ab his, sive quae facta ibi, designandi. Atque in re subita. Rutilius Lupus obiter correctus. Quase, sibe an restituendum Livio. Publica sacra etiam templa. Prava sedulitas editorum lectionibus MSS. parum probabiles coniecturas substituendi. Curtius, Tacitus correcti. Turni fragmentum apud Scholiasten Iuvenalis emendatum.

Quantum lucis et medelae allatum sit Livio e MSS. lectionibus imprimis Gronovii P. solertia, nemini incognitum est, nisi qui Livium ipsum ignoret. Ac sane tot eximius ille vir desperata loca tantaque felicitate restituit saepe e contaminatissimis Codd. scripturis, ut in exemplum pro-

poni possit critices feliciter exercendae tractandi eius ratio. Ceterum falsus sit, qui nihil novae editoris diligentiae relictum esse putet. Plurimae latent egregiae lectiones in notis vv. dd., dudum meliore loco dignae, vel meliorum lectionum saltem vestigia. Quo consultius videtur porro progredi in hac via, et reiectis correctorum commentis nihil tamquam *γνήσιον* agnoscere, quod non vel MSS. vel sua ipsius h. e. interna auctoritate nitatur. Qua in re quantum futuro editori agendum restet, nunc iuvat aliquot exemplis ostendere.

Oratio legitur XXIII, 42. Hirpinorum auxilium precantium ab Hannibale, cum acriter eos cum Nolano praesidio urgeret Marcellus:

> *Magni dictatores*, inquiunt, *cum magistris equitum, bini consules cum binis consularibus exercitibus ingrediebantur fines nostros ante, explorata et subsidiis positis; et sub signis ad populandum ducebant: nunc* PROPE *unius et parvi ad tuendam Nolam praesidii praeda sumus. Iam ne manipulatim quidem, sed latronum modo procursant totis finibus negligentius, quam* etc.

Haec verba ut nequaquam obscuram habent sententiam, ita occurrunt in iis quae cursum attente legentis vehementer impediant. Ac primum, ubi dicitur „magni dictatores — bini consules ingre-

„diebantur fines", iure quodam nostro his oppositum quiddam exspectabamus ea ratione, qua opposita se excipiunt „consulares exercitus — „parvum praesidium" — „sub signis ad populan-„dum ducebant" — „ne manipulatim quidem, sed „latronum modo procursant". Saepius ita in orationibus Livius v. c. XXVII, 44. et alibi. Sed argumento ab una concinnitate petito, quis verecundus tribuat aliquid in tali scriptore? Argumenta in promptu sunt, quae corruptelam manifestius arguant. Nam quid tandem voluit illo quod maioribus literis expressimus? Vtrum: „se „prope unius praesidii praedam esse, quoniam „revera duo fuerint vel plura urbium praesidia, „quae agros Hirpinorum infestarent". An „prope „unum" intellexit „male plenum praesidium" quasi negligentiam duci praesidii exprobans? Atqui unum fuit Nolanum praesidium, quod urgeret Hirpinos, nec alteram patitur adverbii relationem adiectum „et parvi". Sed forsitan, ambigue locutus optimus auctor, dixit: „nunc unius prae-„sidii prope praeda sumus", quae Crevierii est sententia. Scil. qui ita se afflictos queruntur devastationibus paucis interiectis, ut „vana iam „ducat populatores suos praedae spes"; eos dixisse putabimus h. l. „se paene praedam esse praesidii".

Vix tot verbis usi essemus in convincenda lectione, quam nemo non, qui MSS. lectiones cognorit, correctori tribuat, nisi pronos in eam vide-

remus vv. dd., postquam incredibili DRAKENBORCHII socordia alia est in ordinem recepta nec sensu melior, et latinitate aliquanto deterior. Antiquissimus Livii Puteani Cod., cui unica in his libris fides exhibet *nunc* PROPRI *unius*, Florentinus Put. aetate et auctoritate proximus PROPRII *unius*, neque aliter Cantabrig. Hoc praestantium codd. consensu veram sibi Livii manum deprehendisse visus I. GRONOVIUS eam exponebat*): „proprii unius, quod uni certae urbi destinatum propriumque „est", idque recepit DRAKENBORCHIUS. Itane vero probaverit accuratae vir doctrinae lectionem, quae ne latina quidem est? Nam hoc quidem non intelligi potest „nunc proprii unius et ad tuendam N. praesidii pr. sumus". Sed adest v. d. exemplis scil. extorquens assensum, afferens II, 49. *Sequebatur* (Fabios) *turba propria alia cognatorum.. alia publica*. XXV, 33. *Vt non plus sui roboris suarumque proprie virium habeat.* XXVII, 38. *Hannibalem suo proprio occupandum bello*, ut iam dubites utrum voluerit *proprii*, an *proprie*. Nimirum hoc quilibet videt, dispares perperam confundi loquendi rationes; denique, ut locus sit *proprii*, opus esse addito nomine

*) Cum SALMASIO non admodum feliciter cessisset emendandi periculum. Nam qui unius praesidii praeda dicuntur, utrum hi *propria* dicantur pr. praeda nec ne, ad sensum perinde est.

„nunc proprii unius urbis praesidii et parvi etc. quod nemo scriptum a Livio putabit. Quare cum aliud quaerendum sit, concinnitas membrorum nobis proderit ad verum reperiendum. Scribe:

> *Magni dictatores cum magistris equitum, bini consules cum binis consularibus exercitibus ingrediebantur fines nostros ante, explorato... et sub signis ad populandum ducebant: nunc* PROPRAETORIS *unius et parvi ad tuendam Nolam praesidii praeda sumus!*

Propraetorem legati M. Claudium Marcellum intelligunt, cui praetura functo A. V. 536. (XXII, 35.) postquam sequenti anno magistratum consul vitio creatus deposuerat (XXIII, 31., Populus proconsulare imperium ex praetura demandatum prorogavit: mox celebri circa Nolam pugna commissa clarum insignemque. De quo Hannibal XXIII, 43. *Non magis pares* (consules) *Hannibali futuros, quam ad Cannas fuissent: nedum unus praetor cum paucis et novis militibus Nolam tutari possit.* Et XXIII, 44. *Legatumne Romanum et legionis unius et alae magno certamine vix toleratis pugnam, quos binae acies consulares vix sustinuerunt.* Sed eundem virum, cui ius proconsulare, et *Praetorem, Propraetorem* et *Legatum* appellari, cui non mirum accidat? Ita sane accidet ei, qui non meminerit, in his similibusque rebus *) usum obtinuisse, ut a sum-

*) *Opima spolia* ea dicuntur quae dux duci detraxit.

ma loquendi proprietate etiam optimi scriptores aliquantulum remitterent. Vt saepius igitur proconsules dictos legimus *consules*, v. Duk. ad XXVI, 33. XXXI, 49. *praetores* qui essent propraetores, v. Duk. ad XXIII, 40. XXX, 24. quaestores *proquaestores* v. Ruhnk. ad Vell. p. 229. sic item *propraetorum* et *proconsulum* permutantur appellationes, et proconsules vocantur *propraetores*, v. Duk. ad XXXIX, 29. Drak. ad XXIII, 25. et ad XL, 39. Ruhnk. ad Vell. p. 116. Nam cum antiquitus *praetor* de quocumque diceretur, cui exercitus pareret (Asconii sunt verba apud Gronov. ad XXI, 3.), et illius rei causa patet, et cur adeo dictator ex vetere lege apud Liv. VII, 3. dicatur *praetor maximus*. Quodsi tamen pertinaciter rem addubites, et Marcellum apte etiam ad loquentium personam *propraetorem* appellari, eius rei Livium ipsum adhibebo testem. Lib. XXIII, 39. *Inde Marcellum* (Fabius) *propraetorem cum iis copiis, quos habebat, Nolam in praesidium misit.* Haec MSS. et editt. vett. lectio, cuius loco Aldus quod editur *proconsulem* e coniectura scripsit. Tu antiquum revoca, in quo nemo nunc haerebit. Ceterum quot errores peperit compendiaria scribendi ratio PR. *praetor*, PRO-PR. *propraetor*, quot *patres*, *praefecti*, etiam *respubli-*

Livio tamen placuit ad Tauream transferri. Similiter *auspicia* et alia verba.

publicae inde originem duxerint, post tot criticorum admonitiones dicere nil attinet. Vide, si lubeat, Heins. ad Vell. II, 76. Drakenb. ad XXV, 12. imprimis ad XXX, 4.

Est in eadem Hirpinorum oratione XXIII, 42. alius adhuc locus, neque is satis explicatus. Pergunt:

> *Numidarum paucorum illi quidem* (depopulatores) *praeda erunt, praesidiumque* MISSUM *nobis* erit *et Nolae ademeris; si modo, quos ut socios haberes dignos duxisti, haud indignos iudicas, quos in fidem receptos tuearis.*

Etiam in his prius antiqua vulnera refricanda sunt, antequam efficax remedium adhibeas. In nullo cod. comparet vox *erit*, a correctore profecta. Omnes exhibent *praesidiumque missum nobis et Nolae ademerit.* Puteani cod. *praesidiumquemisulnobisetnolaeademdemerit.* Refinxit GRONOVIUS: *pr.* simul *nobis et Nolae ademtum erit*, quod explicat „praesidium nobis erit (auxili„um), simul ademtum erit Nolae". At hac explicatione, utcumque verteris verba, duplici significatione sumetur „praesidium", et pro „auxilio" et pro militibus „qui auxilio sunt". Quod nemini placere potest. Ne opponam, quod e pluribus exemplis *) cognitum alio loco ostendam, ab errore repetendorum verborum non abhorrere librarium eximii cod. Quare potius cum Goet-

*) Exempla sunt XXVI, 1. XXIV, 40. XXVI, 22. et alibi.

ting. editore probem: „*praesidiumque* (s. milites „praesidiarios) *simul nobis et Nolae ademeris.* Quid, si tamen neque hoc animum explet? Requirimus: „militesque praesidiarios missos con- „tra nos etiam Nolae ademeris". Nondum poenitet nos coniecturae:

Numidarum paucorum illi quidem praeda erunt, praesidiumque IMMISSUM *nobis et Nolae ademeris.*

Verbi vim, qua saepe utitur eo Livius, „hostili ani- „mo mittere" satis explicuit Cortius ad Sall. Cat. 48. et Plin. Ep. VI, 31. p. 468. Inde exquisitum Taciti Ann. VI, 45. *Immittendo amore iuvenem inlicere*: quod, non intellectum Ernestio, bene explicuit Wopkens. in Act. Traiect. *In* elisi ante *m* ubivis sunt exempla in MSS. II, 31. ubi v. Drak. et ad II, 53. Simili ratione forsitan corrigendus est Curtii corruptus locus III, 2, 17. *Erat Dario mite et tractabile ingenium, nisi* SUAM *naturam plerumque fortuna corrumperet.* Nemo probabit Acidalii mirabile commentum explicantis „quamcumque naturam fortuna nanciscitur, „tamquam suam depravat", cui repugnant et sensus et verborum collocatio. Eodem iure sumi potuerat *fortuna* pro ablativo, quod nec ipsum cuiquam venit in mentem, qui non quidquid patiuntur grammaticorum regulae recipit. Agnosco in *suam* prius scriptum *īsitam.* Inde exit: *nisi* INSITAM *naturam pler. fortuna corrumperet.* Imita-

tus est, cuius loquendi formulis ubivis colorat orationem, Livium XXXVI, 54. *Massilienses, si insita natura velut ingenio terrae vinci posset, iam pridem efferassent* etc. et XXII, 3. ubi pari errore Cod. Pal. 2. *sitam.*

Similis his, mire obscuratus corrigendi temeritate, est locus XXXII, 21. Cum Romani simul et Philippus amicitiam peterent Achaeorum, sed Romani directa interrogatione aut pacem aut bellum flagitantes, quippe freti classe sua, diffidenter admodum praesenti destitutus auxilio Philippus, utraque res diu consultando tenuit Achaeos. Tandem praetor rumpens silentium, quid amborum postulatio sibi velit, exponit.

> *Non fit*, inquit, *hoc neque modestia Philippi, neque impudentia Romanorum.* *ACHAEI PORTUS et dant fiduciam postulantibus et demunt.*

Sensit iam GRONOVIUS P. in hac sententiarum coniunctione quid a recta ratione aberret. Requirebat „conscientiam virium suarum". Verissime. Nam si obsecutus Sigonio dicas, Achaeorum terram mari expositam facilius a classe oppugnari quam ab exercitu terrestri, ideoque Romanis classem fiduciam dare, et demere Philippo; nihil proficitur quo minus tamen inepta sit portuum mentio. Aeque ac si dixisset: „nam multum nobis „timendum est ab Romanis, qui portus habe„mus". Atqui portus (propria sua vi) iuvant ami-

cos, non iuvant inimicos, quippe qui claudi et obserari solent adventu hostium. Translata autem significatione sumere vocem pro urbibus marimitis, prohibet historia; quoniam, licet plures haberet portus Achaeorum terra (memorantur quatuor), tamen multo plures habuit urbes maritimas (ad quatuordecim), quibus aeque ac portubus terrori erat classis Romana. Sed piget plura dicere de lectione, quae dudum sede expulsa sua meliori cessisset, nisi nunc utcumque correcta legeretur a Sabellico, quo vitium eius belle obtegitur. Nam hoc, quod repugnante sensu in omnibus exemplaribus circumfertur, num fidem aliquam auctoritatemque habet? Imo correctum est a SABELLICO (a. 1491). Omnes edd. priores et MSS. exhibent: *achaei portus et dat fiduciam postulantibus et demit.* Iam ex his tibi vestigiis, e Longobardica scriptura *achaei* eruens *cnchreae*, ita Livii locum restituo:

> *Non fit hoc neque modestia Philippi, neque impudentia Romanorum.* CENCHREAE PORTUS *et dat fiduciam postulantibus, et demit.*

Audi ipsum quomodo explicet: *Philippi praeter legatum videmus nihil. Romana classis ad Cenchreas stat, urbium Euboeae spolia prae se ferens. Miramini cur diffidenter legatus Philippi ut pro rege arma caperemus modo egerit?* Elegans haec veterum consuetudo, nominibus locorum ea quae facta ibi, sive quae instant ab his designandi.

XXI, 10. *Aegates insulas Erycemque cogitate!* XXIV, 8. *Cannae et Thrasimenus tristia exempla recordationi sunt.* TACIT. Hist. III, *Incesserat cunctatio, ni duces fesso militi Cremonam monstrassent.* Cur autem a classe Romanorum in portu Corinthiorum argumentum repetat diffidentiae Philippi, non a copiis terrestribus? In promptu est respondere cum Livio: *Peninsula est Peloponnesus, nulli apertior atque opportunior, quam navali bello. Si centum tectae naves maritimam oram vastare, et expositas prope in littoribus urbes coeperint oppugnare, in mediterraneas scil. nos terras recipiemus; tamquam non intestino uramur bello.* Forma *Cenchreae portus*, ut *Fregellae colonia* IX, 12. *Thurias urbem* X, 11. *Cyphanta portus* Plin. H. N. IV, 5. *Montem Tifata* Vell. II, 25. et alibi.

Plura alia sunt loca, in quibus e MSS. vestigiis eruere licet meliores lectiones. Lib. XXXVIII, 57. *Quum illa muliebriter indignabunda nihil de communi filia secum consultatum, adiecisset, „non „si Ti. Graccho daret, expertem consilii debuisse „matrem esse", laetum Scipionem tam concordi iudicio, „ET ipsi desponsam" respondisse.* Ita MSS. Quod nollem delevisset GELENIUS, contra librorum omnium auctoritatem; cum nudum illud *ipsi*, si quid video, neminis animum expleat. Scribe: EI *ipsi desponsam* etc.

Narrat Lib. XXXIX, 49. nuntio capti Philopoemenis Lacedaemonem perlato totam urbem ad spectaculum effusam: *Itaque clauserant portam turbae, cum pro se quisque, nisi ipse oculis suis credidisset, vix pro comperta tantam rem habiturus videretur. Aegre summoventes obvios intrare portam qui adducebant Philopoemenem potuerunt,* ATQUE *turba conferta iter reliquum clauserat.* Legitur in MSS. *atque conferta turba* Anne fuit? AEQUE *conferta turba iter reliquum clauserat.* Sane neque copulae hic idoneus locus erat, neque, quae saepius est particulae vis, in re subita ut sit *statim* (notat e Gellio X, 29. Gronov. ad XXVI, 39.) sensui convenit.

Insignior corruptela est XL, 51. *Complura sacella publica,* QUAE *sua occupata a privatis, publica sacraque ut essent, paterentque populo curarunt.* Haec editt. principum lectio, quam prodigiose corruptam GRONOVIUS P. partim felici partim infelici audacia ita refingebat: *Complura sacella publica, quae fuerant occupata a privatis, publica rursus sacra ut essent paterentque populo, curarunt.* Sed non culpandus eximius vir, qui ad sensum digitum intendisse satis habuit; culpandi editores, qui, quod ne aliquam probabilitatis speciem praeferret, temere in textum invexerunt. Nos, receptis ex his emendationibus quae certae videbantur, cetera ita scribenda censemus:

Compl̄ura sacella publica QUASI sua occupata a privatis, publica sacraque ut essent, paterentque populo curarunt.

Cicero de Or. I, 50. *Neque ea ut sua possedisse, sed ut aliena libasse.* Tacit. Ann. XV, 37. *Ipse* (Nero) *publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti.* Tacit. Hist. I, 22. *Intimi libertorum aulam Neronis, luxus, adulteria Othoni avido talium ut sua ostentantes, quiescenti* etc. Phaeax apud Plutarch. Alc. c. 13. Ὅτι τῆς πόλεως πολλὰ πομπεῖα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ κεκτημένης Ἀλκιβιάδης ἐχρῆτο πᾶσιν αὐτοῖς ὥςπερ ἰδίοις πρὸς τὴν καθ᾽ ἡμέραν δίαιταν. Ceterum, quo emendationis ratio eluceat, notandum est a Livio scriptum fuisse *sibe* et *quase* (*tibe* Varro de R. R. 3. c. 16.); quod iam suo tempore rarius apparuisse in codd. tradit Quintil. I, 7. v. Drak. ad IX, 5. Ruhnken. in Praef. ad Lex. Schell. v. *casse.* Cuius si adhuc vestigia exstent corruptis lectionibus, ecquid mirum, cum *pluvit* etiam et *pluvisse* Livii (v. Prisc. apud Voss. A. Gr. II, 13. p. 209.) hic illic appareat? In his autem aeque minus licet Livii manum affectare, quam in Homeri carminibus ultra Alexandrinorum aetatem Poetae scripturas exquirere. *Publica sacraque* scripsimus, quod haec MSS. lectio est, non quod fidem habemus Dukero ad XLII, 5, 7. neganti *sacris publicis* designari *templa.* Non meminerat XXIX, 8. *Nam avaritia ne sacrorum*

quidem spoliatione abstinuit: nec alia modo templa violata sed Proserpinae etiam intacti omni aetate thesauri. Notat quoque ex Gallo Aelio FESTUS.

Alius est eodem in libro locus c. 10. in Persei oratione, ubi certiorem emendationem demonstrant scripturae vestigia. *Execrare nunc cupiditatem regni, et furias fraternas concita! Sed ne sint coecae, pater, execrationes tuae, discerne et dispice insidiatorem et petitum insidiis. Noxium* HVIC ESSE *caput.* Vnice placet ALB. RUBENII emendatio *noxium incesse caput;* sed quae sanationem incipiat, non perficiat. Nam vestigia literarum vide. Anne suadent? *noxium* TV INCESSE *caput* *). *Huic* enim cum nullo modo defendi possit, quia oblique spectans Demetrium Persei oratio directam hominis mentionem refugit, quanta vis accedat coniecturae pronomine adiecto, nemo non sentit. Hoc forsitan restituendum RUTILIO LUPO I, 5. in dicto Proculeiano: *Cui Proculeius pater subiecit: „Imo vero", inquit, „*NE *meam mortem exspe-„ctes, nec properes moliri, ut velocius moriar".* Coniecit RUHNKENIUS *velim.* Mihi scribendum videtur: *Cui Proculeius pater subiecit: „Imo vero", inquit, „*TV *meam mortem exspectes* etc. Liv. XXII, 48. *Tu quidem, Cn. Corneli, macte virtute esto!*

*) Scripsit Bauerus: *insidiis *** noxium huic esse caput.* Quod non vitio temeritatis caret. Neque enim licet tales suspiciones iacere, nisi quae exciderint exacta sententiarum connexione constet.

Ibid. *Tu me in hac strage militum meorum patere exspirare.* Nec vis eius latebat RUHNKENIUM in emendatione versuum Lucilianorum.

Exponit Romanorum infelicem in Istriam expeditionem XLI, 1 (5.) *In portu emporium brevi perfrequens factum, omniaque hinc in castra supportabantur: et, quo id tutius esset, stationes ab omnibus castrorum partibus circumdatae sunt. In IstriamQVE SVVM praesidium stativum, repentina cohors Placentina opposita inter mare et castra: et ut idem aquatoribus ad fluvium esset praesidium* etc. Feliciter GRONOVIUS P. ex nihili vocibus *in Istriamque suum* eruit *in Istriam versum.* Cur autem sprevit, quo et literarum ductus ducebant, et scriptoris consuetudo, gravius *in Istriam OBVERSUM..?* v. Gloss. Liv. Sic demum nihil ad integritatem sensus requirimus.

Iuvat his addere quaedam aliorum scriptorum loca, quorum, simili in causa, similis est emendatio; quo clarius appareat, quantam et olim intulerint cladem veterum libris primi eorum editores, et etiamnunc multi importent recipiendo coniecturas parum probabiles, delendisque meliorum lectionum vestigiis. CURTII est locus VI, 1, 20. *A quo* (Antipatro) *Lacedaemonii nihil aliud quam ut oratores mittere ad regem liceret precati, GEATAE veniam defectionis praeter auctores impetravere.* Ita Codd. optimi Flor. Lugd. etc.

Quod monstrum vocis, cum frustra exercuisset HEINSII ingenium *Aegeatae*, GRONOVII *gratis* scribentium, ceteri quasi reformidantes deleverunt. At ex eo verissima elici poterat lectio: *A quo Lacedaemonii nihil aliud precati..* GENTI *veniam defectionis praeter auctores impetraverunt* *). Ita malunt Latini: vix *suam gentem.* Liv. XXXI, 25. *Non fefellit Achaeos, quo spectasset tam benigna pollicitatio: id quaeri, ut iuventutem* (Philippus) *educeret ex Peloponneso ad illigandam Romano bello gentem.* IX, 7. *Tantumque in exercitum suorum intulere terrorem, ut legatos mitterent gentem dedituros:* Neque aliter Graeci. Arrianus II, 4. *Κἀκεῖ αὐτῷ πρεσβεία ἀφικνεῖται Παφλαγόνων, τό τε ἔθνος ἐκδιδόντων κ. τ. λ.* Tac. Hist. I, 69. *Legati impunitatem salutemque civitati impetravere.*

Eadem ratio est pulcherrimi loci in TACITI Agricola c. 31. *Coniuges sororesque etsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunasque in tributum egerunt,* IN ANNONAM *frumentum, corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis verbera inter ac contumelias conterunt.* Omnes antiquae editt., Puteolani Veneta et Mediol., Veneta Rivii, Rom. Beroaldi etc. praeferunt *egerunt annus in frumentum*; unde, quod nunc in omnibus exemplaribus tamquam germana lectio Taciti cir-

*) Habet tamen Cod. Theocr.. *aegre*, ut nunc videmus.

cumfertur, exsculpsit RHENANUS admodum infeliciter *). Vt significationem v. *annonae* non attingamus, quae infimae aetatis est, non TACITI, e vestigiis his ipsis quid fingi potuit liberius? Tu scribas: *Bona fortunasque in tributum egerunt, ANNOS in frumentum; corpora* etc. Sensus: „Bona fortunasque exhauriunt tributo imposito, „proventum annorum frumento imperato". *Annos* de proventu annorum saepius dixere aequales TACITO poetae STATIUS, IUVENALIS, SILIUS, v. MARKLAND. ad Stat. Silv. III. p. 71. RUHNK. in Praef. ad Lex. Schell. h. v., et ipse voce utitur de segete Germ. c. 14. *Frumentum* est *iussum, imperatum.* Ann. IV, 6. Denique *egerere proventum annorum in frumentum,* similis illi *egerere census in exsequias* Quintiliani Decl. V, 17. *Fontem Marsyae in Phrygia saxa egerere* Plin. H. N. XXXI, 2, 16. (ap. Forc. v. *egerere),* trita est illius aetatis loquendi ratio.

Similem emendantium temeritatem arguit TACITUS An. XIII, 15. *Turbatus his Nero; et propinquo die, quo quartum decimum aetatis annum Britannicus explebat, volutare secum modo matris violentiam, modo ipsius indolem* UT QUIDEM *experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quaesivisset.* Ita MSS. Secure reposuerunt recentiores editores de FREINSHEMII coniectura

*) Cetera satis feliciter emendans.

levi quidem experim. cognitam. At leve id fuisse ingenii puerilis experimentum prodeuntis in medium carmenque incipientis, quo evolutum se regno significabat, id vellem ex re potius quam simplici affirmatione probassent. Nobis de levitate contra videtur. Neque in his, ubi res loquitur, iudicium suum interponere solent scriptores antiqui; qui mos est recentiorum. Scribe e vestigiis codd.: *Volutare secum modo matris violentiam, modo ipsius indolem,* UNO QUIDEM *experimento nuper cognitam, quo tamen* etc.

Hac denique ratione restitui posse videtur TURNI fragmentum apud SCHOLIASTEN IUVENALIS I, 71. *Locustam ex Galliis matronam veneficam Nero exhibuit* (l. *excivit* *)) *ad se propter venena conficienda, quoniam magnae famae erat; et in familiaritate habuit, ut etiam eum doceret venena miscere. Inde ait* TURNUS *in satyra:*

Ex qua Caesareas soboles horrida Locusta
Occidit, cura sui verna nota Neronis.

Haec increpitata a Nerone, quod lentum venenum Britannico privigno (male!) *suo parasset, tam efficax dedit, ut, antequam poculum Britannicus exhauriret in convivio Neronis exspiraret.* Nihil attinet referre quid vv. dd. excogitaverint h. l.; quae,

---

*) Ita MUNKERUS quoque coniecit. Sed antiquior correctio; exstat iam in una Schrevelianarum editt.

qui volet, videat apud Rutgersium V. L. V, 10. et in *Miscellan. Observ.* I. To. V. p. 264. Wernsdorfius (in Poetis lat. minorib. To. III. p. 82.) hanc ut „maxime probabilem et vestigiis scriptu-„rae inhaerentem" protulit lectionem:

Ex quo Caesareas soboles h o r r e n d a *Locusta*
Occidit, C i r c e i n t e r v e r n a s *nota Neronis.*

Nobis emendandum videbatur:

Ex quo Caesareas soboles h o r r e n d a *Locusta*
Occidit, cura f r a t e r n a m o t a *Neronis.*

Commentarii instar sunt Taciti verba An. XIII, 15. *Locusta* prima brevi notat Forcell. h. v., et inde alii: omninoque accuratius debet inquiri in originem v., ut constet productae ratio. *Horrenda* de vera Schurtzfleischii emendatione est (Animad. ad Iuven. I, 71.) nata, opinor, ex Aen. VI, 6. *Mota* pro *excitata* saepius habet Tacitus.

CAPUT SEXTUM.

Livii loca complura correcta interpunctione sanantur. Vis interrogationis, parentheseos restitutae. Polybius et Curtius obiter emendati. Nonii error notatus. Livii locus e Cicerone adumbratus. Oraculum Delphicum an a. u. 587 oraculum orbis terrarum esse desierit. Bonus Eventus. Ammianus Marcellinus e Gesneri correctione. Exempla depravatae interpunctionis e Cicerone, Tacito; hic ter, uno insigni loco, emendatus.

Ad aliud progredimur emendandi genus, quod, non refingendis literarum elementis, sed una vocum recta distinctione absolvitur; idque doctis iuxta indoctisque probatum. Nam cum pauci sint adeo remoti ab humanitate, ut egregia veterum monumenta nolint seculorum labe purgata antiquae et suae formae restitui, dummodo id fiat paucis — nam multis non placet — quo faciliori modo et his satisfacias, et ceteris simul cordatis iudicibus vix reperias. Ac loquimur hoc loco non de toto hoc genere, quod utilissimum sane recte legendi intelligendique praesidium a nullo adhuc editorum Livii satis constanter est exercitum: ad

illud spectat oratio nostra, quo rite adhibito corrigentium coercetur temeritas, et dispulsa obscuritate veritas, elegantia concinnitasque sententiarum restituitur.

Laudes exponit P. Licinii Crassi XXX, 1. cui in provincia (Bruttiis) ut succederet P. Sempronius senatus iusserat:

> *Is* (Licinius) *Romam reverteretur, bello quoque bonus habitus ad cetera, quibus nemo ea tempestate instructior civis habebatur, congestis omnibus humanis a natura fortunaque bonis. Nobilis idem ac dives erat: forma viribusque corporis excellebat* etc.

Ne in hac verborum iunctura porro quis offendat cum Dukero coniungens *ad cetera congestis* cavit quodammodo Drakenborchius distinguendo post *habebatur.* Iam explicandi causa adiecti apparent ablativi *congestis bonis.* „Ad ceteras „eximias virtutes, quibus nemo eo tempore in„structior civis habebatur, quoniam congesta in „eum erant omnia naturae fortunaeque bona, ac„cedebat tum quoque, ut bello bonus haberetur". At vel hac expositione, et magis Liviana structura, nemo non videt onerari ultimis verbis sententiam. Quae expedita erit et elegans, si ita distinguamus:

> *Is Romam reverteretur, bello quoque bonus habitus ad cetera, quibus nemo ea tempesta-*

te instructior civis habebatur. Congestis omnibus humanis a natura fortunaque bonis nobilis idem ac dives erat, forma viribusque corporis excellebat.

Congerere sine casu legitur XXXIX, 50. *Sepultus ab universo Achaico est concilio adeo omnibus congestis honoribus, ut ne divinis quidem abstineretur.*

Egregius locus est in Hannibalis oratione XXX, 44. Cum pecunia imperata Carthaginiensibus ridentem eum in publica moestitia et fletu increpasset Hasdrubal, et risus causam exponit, simulque fletum ipsis graviter exprobrat:

Tunc flesse decuit, quum ademta nobis arma, incensae naves, interdictum externis bellis: illo enim vulnere concidimus. Nec esse in vos odio vestro consultum credatis. Nulla magna civitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet, domi invenit.

Vltima verba in quam alienam trahere liceat sententiam, nulla melius quam Crevierii expositione intelligitur. Hunc sensum eruit: „Neque „tamen existimetis ideo tam acerbe egisse vobis„cum Romanos, ut odium suum explerent; sed „vestrae paci ac tranquillitati consuluerunt, et „quoniam nulla magna civitas quiescere potest, „vobis vires ademerunt, ut quiescere cogeremi„ni". Atqui hoc ipsum stultitiae argumentum gnaviter exprobrat Hannibalis oratio; quod „pa-

„triae"

„triae" ruinam nil curantes in „privata" sua quisque iactura ingemiscant: non intelligentes multo durius Romanos et vere odio suo in eos consuluisse antea, cum civitati bellis externis interdixerint, quam nunc cum singulis pecuniam imperent. Quare rectius providit sensui DRAKENBORCHIUS coniiciens: *Necesse est in vos, odio vestro, consultum a Romanis credatis.* Fugit v. d. quae lenior in promptu medela ipsa dicentis acerbitate exigebatur. Scribe:

> *Tunc flesse decuit, quum ademta vobis arma, incensae naves, interdictum externis bellis; illo enim vulnere concidimus. Nec esse in vos odio vestro consultum credatis?* (Imo maxime credatis!) *Nulla* (enim) *magna civitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet, domi invenit.*

Quod e Cod. Pal. notatur *ut vos,* etsi elegans est *odio consulere alicuius* (*ultioni* Tac. An. II, 26. *irae* Sall. Cat. 47.) nec abhorrens a latinitate *non est ut*; non tamen praeferam vulg. Est apud Livium alibi, et Ciceronem in Verrinis.

Similis corruptela latebat quondam XXXIII, 13. in sarcasmo Aetoli interrogantis: *„Quid nobis", inquit, „Philippe, reddisne tandem Pharsalum et „Larissam Cremasten et Echinum et Thebas Phthias"?* Sensum, qui nullus erat, vidit et restituit PERIZONIUS distinguendo: *„Quid? nobis", inquit, „red-*

disne etc. At idem reddi debebat POLYBIO XXI, 21. To. IV. p. 85. *Ὁ δὲ τῶν Αἰτωλῶν Φαινέας, Τί οὖν ἡμῖν οὐκ ἀποδίδως, Φίλιππε, ἔφη, Λάρισσαν τὴν Κρεμαστήν, Φάρσαλον κ. τ. λ.* Vitiosae interpunctioni iuxta vitiosa adiicitur interpretatio. „At „Phaeneas Aetolus, Cur ergo, inquit, Philippe, „non reddis nobis Larissam". Distingue *Τί οὖν; ἡμῖν οὐκ ἀποδίδως* etc. quod respondet Livii verbis. Similis est correctio T. HEMSTERHUSII ad Lucian. To. I. p. 338. Eadem fortassis est ratio CURTII VII, 8, 13. in Scytharum oratione. *Ab Europa petis Asiam; ex Asia transis in Europam: deinde si humanum genus omne superaveris, cum silvis et nivibus et fluminibus ferisque bestiis gesturus es bellum.* Vix locum habet affirmatio, etiamsi ironice capias verba. Scripserim: *deinde — cum silvis — gesturus es bellum?* Sed *es* quoque elegantius abesset.

Supersunt eodem modo restituenda duo LIVII loca. Alter est XLV, 35. Milites Aem. Paulli verbis se contra ducem instigant: *Imperiosum ducem et malignum antiquando rogationem, quae de triumpho eius ferretur, ulciscerentur; plebem urbanam secuturam esse militum iudicia. Pecuniam illum dare non potuisse, militem honorem dare posse? Ne speraret ibi fructum gratiae ubi non meruisset.* Scio saepius negationes in alienum locum irrepsisse: nec tamen probem cum GRONOVIO P. Sigonianam correctionem *Pecuniam illum*

dare potuisse, militem honorem non dare posse? Idem efficitur sensus, modo recte distinguas orationem. Scribe: *Pecuniam illum dare non potuisse? Militem honorem dare posse!* Ipsius Paulli sunt, quae cavillantur, verba „Non „fuisse in ipsius potestate praedam militibus „largiri, quae sc. P. R. fuerit, non ipsius? At „in militis potestate esse honorem dare: quam „potestatem nunc experiretur". Simile quid fortasse vidit TURNEBUS. Quod PERIZONIUS interpretatur „ab animo suo impetrari non potuisse", id et linguae et sententiae prorsus adversatur.

Alter locus eodem est libro c. 39. *Pars non minima triumphi est victimae praecedentes, ut appareat Diis grates agentem imperatorem ob rem bene gestam redire. Omnes illas victimas quas traducendas in triumpho locavit* (ita Gronovius pro *vindicavit) alias alio caedente mactate: illas quidem epulas senatus, quae nec privato loco nec publico profano eduntur (utrum hominum voluptatis caussa an Deorum hominumque) auctore Servio Galba turbaturi estis?* „Haec non sincera „esse cuivis patet. Cl. Crevier. legendum conii„cit *non hominum voluptatis caussa sed Deorum „honoris.* Veriorem medicinam ab integriore co„dice exspectandam puto". DRAKENB. Signo interrogandi addito et integram et perspicuam reddes orationem: *Vtrum hominum voluptatis causa, an*

Deorum hominumque? Hoc voluit: „An adeo „stolidus quisquam sit, ut putet hominum potius „voluptatis causa, quam voluptatis causa Deorum „hominumque epulas in Capitolio celebrari"?

A mala interpunctione aliquantum obscuratus est locus XXXII, 38. Refert legationem Philippi Macedonis ad Nabidem Lacedaemoniorum tyrannum:

> *Philocles praeterquam quod iam veniebat cum munere, adiicit ad pignus futurae regi cum tyranno amicitiae, filias regem Nabidis filiis matrimonio coniungere velle.*

Pignus amicitiae quid sit, ne quis intelligat de munere, cum quo veniebat legatus, optime declaravit Dukerus. Neque hic cum deleret voculam *ad*, neque Drakenborchius cum mutaret in *id* viderat adiecta a scriptore ipso ad sequentia referri verba. Quare distinguendum:

> *Philocles praeterquam quod iam veniebat cum munere, adiicit* (*ad pignus futurae regi cum tyranno amicitiae*) „*filias regem Nabidis filiis matrimonio coniungere velle*".

Ad enim finem et causam significat, ut XLII, 39. in. *Nec tam in pignus fidei obsides desiderati erant* etc.

Suspectior est locus XXXIII, 15. *Androsthenes omnium ignarus Corintho profectus, ad Ne-*

meam (amnis est Corinthiorum et Sicyoniorum interfluens agrum) castra locat. Ibi parte dimidia exercitus DIMISSA, *dimidiam trifariam divisit, et omnes equites discurrere ad populandos Pellenensium Sicyoniumque agros, et Phliasium iubet.* Quod vehementer in his torsit vv. dd., adeo ut ne a violentioribus quidem correctionibus abstinerent, veluti DRAKENBORCHIUS coniiciens *ibi parte dimidia considere iussa,* CREVIERIUS *parte dimidia secum retenta;* in eo equidem offendendi causam video nullam. Proprie capimus *dimittere* de militibus abire iussis in suum quibusque locum, imperatore etiamtum in ordinandis instruendisque ceteris occupato. Centies ita; v. c. ap. SUET. Aug. c. 49. *Reliquas* (cohortes) *in hiberna et aestiva circa finitima oppida dimittere adsuerat.* Alias habet illud verbum significationes, quae plus offendere possint *). At nulla appa-

---

*) V. c. *ripas dimittere* apud CAESAREM de B. G. V, 18. *oppida dimittere* apud AUCT. de B. G. VIII, 5. *thesauri dimissi* apud CURTIUM V, 5, 2. *milites insepultos dimittere* apud eundem V, 4, 3. Imo pro *derelinquere* notat (sed falso) NONIUS e Cicerone p. 315. H. Iun. „DIMITTERE, *derelinquere. M. Tullius ad Caesarem lib. III.* „*Quem si videres non de exercitu retinendo tueri* (Anne „*timere?*), *sed de eo tradito aut dimisso.* Propria sua vi sumitur; et perspicuus sensus est, si modo ipsius Caesaris (antequam Rubiconem transgressus erat) exemplum cogitemus. In Edit. Ern. p. 1062. legitur *Quae si videres* etc., quod, unde ductum sit, non apparet.

ret in seqq. coniunctio, hiatque constructio in his *dimidiam trifariam divisit, et omnes equites discurrere ad depopulandos agros iubet.* Exigit sensus: *dimidiam trifariam divisit, easque partes cum omnibus equitibus discurrere* etc. Huic incommodo medebimur, recte distincta oratione:

> *Ibi parte dimidia exercitus* DIMISSA, *dimidiam (trifariam divisit) et omnes equites discurrere ad depopulandos simul Pellenensium .... iubet.*

De hac orationis forma LIVIO imprimis familiari, omnia, quae dici poterant, exhauserunt I. Fr. GRONOVIUS et DRAKENBORCHIUS ad XXVII, 2.

In Manlii oratione XXXVIII, 47. ubi se defendit a crimine iniuste illati Gallograecis belli, legitur:

> *At sunt quidem ista vera: etiam Delphos,* QUONDAM *commune humani generis oraculum, umbilicum orbis terrarum Galli spoliaverunt, nec ideo pop. Rom. his bellum indixit, aut intulit.*

Haeccine vero dixerit orator id maxime agens, ut calumniam contra se motam illustri exemplo opposito confutaret, *quondam oraculum?* Haud me fugit, Pythiam iam Pyrrhi tempore versibus loqui desiisse; neque sic tamen Delphi desierant commune esse generis humani oraculum, quod perversa interpunctione satis inepte contenditur. Interpunge:

At sunt quidem ista vera: etiam Delphos QUONDAM, *commune humani generis oraculum, umbilicum orbis terrarum Galli spoliaverunt, nec ideo P. R.* etc.

Ob oculos habuit CICERONIS pro Fonteio c. 10. *Hae sunt nationes* (Galli), *quae quondam tam longe ab suis sedibus Delphos usque ad Apollinem Pythium atque ad oraculum orbis terrarum vexandum ac spoliandum profectae sunt.* Quod si Ciceroni circa a. u. 684. dicere licuit, quanto magis debuit Manlius a. u. 565!

In Demetrii oratione Lib. XL, 15. legitur: *Ego autem, pater, quemadmodum nec nunc sperare regnum, nec ambigere umquam de eo forsitan debeam, quia minor sum, quia tu me maiori cedere vis; sic illud nec debui facere nec debeo, ut indignus te patre, indignus omnibus videar.* Nulla literarum mutatione opus est, ut sententiae veritas restituatur. Quod corrigendo eripere volunt GRONOVIUS *maioribus*, SCHELIUS *ominibus* substituentes, alii alia, sine detrimento sensus abesse non potest. Paullo ante dicit Perseo: *Quin tu, omissa ista nocturna fabula, ad id quod doles reverteris! „Cur dignior patris fortunae successor „quibusdam videris, quam ego"? Haec sentit Perseus, etsi non dicit.* In occulto enim criminatus erat Perseus apud patrem Demetrium c. 5. *Omnium paene Macedonum in eum ora conversa*

sunt: nec regem se alium rentur habituros esse, quam quem Romani dedissent. Iam his ita h. l. respondet Demetrius, ut se numquam regnum Macedoniae speravisse contendat, neque tamen ita umquam egisse, ut, ne dignior *quibusdam* videretur Perseo, *omnibus* indignus rege et patre videretur. Quare, ne verbo quidem mutato, sic distinguendum:

Sic illud nec debui facere, nec debeo, ut indignus te, patre indignus omnibus videar.

Adiectum *patre* si quem forte offendat, meminerit duplicis Demetrii personae, quam agebat in aula Philippi, et *comitis* et *filii*, cuius mentio c. 10. et 15. Simile est Vellei. Pat. *Ne indignus avunculo et Caesare crederetur.* Repetitum adiectivum quantopere ament in vehementiore oratione Latini, exempla docent Cortii ad Sall. Cat. 20.

Plura ex hoc genere vitia latent etiam in prioribus libris. Lib. VIII, 33. *M. Furium Camillum in L. Furio . . . non solum in praesentia moderatum irae esse, ne quid de collega secus populo aut senatui scriberet, sed, quum revertisset potissimum ex tribunis consularibus habuisse, quem ex collegis, optione ab senatu data, socium sibi imperii delegerit.* Δὶς ταὐτὸ dixit orator, si vere ita editur. Siquidem *tribuni consulares* iidem sunt, qui *collegae* Camilli. Latinitas quoque aliam verborum coniunctionem suadet. Requirimus aliquid ad *optione data.* Scribe: *Po-*

tissimum ex tribunis consularibus habuisse quem, ex collegis optione ab senatu data, socium — delegerit.

In oratione Camilli Lib. V, 44. legitur: *Iam obsidionis taedio victi* (Galli) *abscedunt, vagique per agros palantur, cibo vinoque raptim hausto repleti. Ubi nox appetit prope rivos aquarum... ferarum ritu sternuntur.* Respicit quae c. 43. narraverat, Gallos fame compulsos ab urbe recessisse. Ex quo apparet, distinguendum esse: *Iam obsidionis taedio abscedunt, vagique per agros palantur. Cibo vinoque raptim hausto repleti, ubi nox appetit prope rivos.. sternuntur* *). Confirmat c. PLUTARCHUS Cam. 23.

Similiter vitiosa interpunctio est c. 43. *Proficiscentes Gallos ab urbe ad Romanam experiendam virtutem, fortuna ipsa Ardeam ubi exulabat Camillus duxit.* Itane vero profectos dixerit ad experiendam Rom. virtutem? Dele virgulam cum Bauero post *virtutem*, et pone post *urbe.* Praeterea scribendum *Fortuna ipsa.* Vt X, 24. *Postquam ipsa Virtus pervicerit, ne inhonorata esset* etc. Intelligit *Fortunam Pop. Rom.* de qua pleni sunt historicorum libri.

Pari ratione corrigendus est locus Lib. VI, 24.

---

*) Idem sensit I. Chr. H. Krausius (Magazin f. Schulen Vol. I. P. I. p. 80.) Sed de quo verbo monendum erat, de eo vix quatuor paginarum spatio iudicium absolvit.

Nihil neque apud duces neque apud milites remittitur a summo certamine animi. Sensit ergo eventus virtutis enixae opem etc. „Paulo obscurius", inquit v. d. „pro: ex eventu pugnae intellectum „est, quantum valeat *virtus enixa*, contentior, „acrior". Atqui scribendum erat: *Sensit ergo Eventus* etc. AMMIANUS MARCELLINUS XXIX. extr. *Et instauravit* (Claudius Praef. Vrbi) *vetera plurima. Inter quae porticum excitavit ingentem lavacro Agrippae contiguam Eventus Boni cognominatam, ea re, quod huius* NOMINIS (L. NUMINIS cum Gesnero in Th. L. L.) *prope visitur templum.* „Quippe hic et ipse Deus putaba-„tur a Romanis", (verba sunt Gesneri ad Varr. de R. R. I, 1, 6.) „ut omnia quae agenda susci-„perent eventu prospero bearet. Occurrit eius „mentio aliquoties in Inscriptionibus apud Gru-„terum p. CI, 7. seq."

Vitiosa interpunctione laborat Lib. XLII, 17. *Promissis enim ingentibus petere instituit ab eo* (Ramnio) *rex* (Perseus): *Quoniam duces omnes legatique Romani hospitio eius uti adsuessent, quibus eorum ipse scripsisset, ut venenum dandum curaret. Cuius scire se comparationem plurimum difficultatis et periculi habere, pluribus consciis comparari. Eventu praeterea incerto esse, ut aut satis efficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur* etc. Interpunge: *Cuius scire se*

comp. plur. diff. et periculi habere. Pluribus consciis comparari; eventu praeterea etc. Ita centies *praeterea* ponitur, ut in membro, quod praecessit, reticeatur *primo*. v. II, 2. etc.

Eodem libro c. 16. *Aggressi facinus Macedones ut inconsulte, ita audacter coeptum nec consulte et timide reliquerunt.* Sensus: „Quod coeperant non minore stultitia quam audacia, id, „postquam coeperant, non modo inconsulte, sed „timide etiam reliquerunt". Quare distingue: *Aggressi facinus Macedones ut inconsulte ita audacter, coeptum nec consulte et timide* etc. *Et* ut *καὶ* est *adeo*, ut saepius post negationem.

Alia his etiam hoc loco adiicere liceat aliorum scriptorum loca, unius rectioris interpunctionis ope sanabilia. Apud Ciceronem de Orat. II, 59. legitur: *Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum: sed quaerimus idem, quod in ceteris rebus maxime quaerendum est, quatenus. In quo non modo illud praecipitur, ne quid insulse, sed etiam si quid perridicule possis. Vitandum est oratori utrumque, ne aut scurrilis iocus sit, aut mimicus. Quae cuiusmodi sint* etc. Notat Schützius V. C. p. 216. „In hac sententia verba *vitandum est* „*oratori utrumque* certum mihi est e glossa in „textum venisse. Namque veritatem sententiae „vel corrumpunt vel obscurant. Legendum igi-

„tur censeo: *In quo non modo illud praecipitur, ne*
„*quid insulse, sed etiam, si quid perridicule pos-*
„*sis* (sc. dicere), *ne aut sc. ioc. sit aut mimicus*".
At vix licet delere, quae antiquus iam agnoscit testis, Nonius v. *Scurrilis* p. 198. H. Iunii. Neque quidquam ad summam sanitatem requiras, modo, deleta maiore interpunctione post *possis*, scribas: *In quo non modo illud praecipitur ne quid insulse: sed etiam, si quid perridicule possis, vitandum est oratori utrumque, ne aut sc.* etc. Quod non scripsit: *sed etiam praecipitur, ut vitet utrumq.* oratio effecit ἀνάστροφος, ut saepius.

Apud Tacitum Germ. c. 35. legitur: *Idque praecipuum virtutis* (Chaucorum) *ac virium argumentum, quod, ut superiores agant, non per iniurias assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, exercitus: plurimum virorum equorumque: et quiescentibus eadem fama.* Frigide in his apposita esse postrema verba *plurimum virorum equorumque,* nervosque non referre orationis Taciti, sensit iam Ernestius; cui scribendum videbatur *exercitus plurium virorum equorumque* etc. quod vereor ne quis obtrudi nolit Ciceroni. *) Omnem dubitationem tollet deleta virgula ante *exercitus.* Scribe: *Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat exercitus, plurimum v. equorumque; et quiescentibus eadem fama.* Haud

*) Offendit Ernestium *durum* et *insolens* in oratione. Nos sententiae *frigidum.*

me fugit absolute posita formula *res poscit* apud Quintilianum et aequales, sed non ita constanter scio veteres uti, ut non sit adiecto casui locus.

Apud eundem scriptorem legitur Ann. XIV, 64. (de Octavia): *Ac puella vicesimo aetatis anno inter centuriones et milites praesagio malorum iam a vita exemta nondum tamen morte acquiescebat. Paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur: cum iam „viduam se et tantum sororem" testaretur, „communesque Germanicos" et postremo „Agrippi-„nae nomen" cieret.* Interpungo *cum „iam viduam se et tantum sor."* quod ad sensum efficacius esse quilibet intelligit.

Agmen claudat alius Taciti locus, etiam is eximiae pulchritudinis, sed adeo flagitiose a correctoribus et interpretibus corruptus, ut Tacitum in Tacito quaeras. Exponit necem Agrippinae Ann. XIV, 8.: *„Anicetus villam statione circumdat, refractaque ianua obvios servorum arripit, donec ad fores cubiculi veniret: cui pauci adstabant, ceteris terrore irrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat, et ancillarum una: magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio, ac ne Agerinus quidem. Aliam fere littore faciem nunc solitudinem, ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. Abeunte dehinc ancilla* etc. — Nihil iuvat exponere, quid dubitaverint h. l. et quid mutaverint critici, varia lectione Cod.

Flor. decepti vanas suspiciones exercentes in loco sano: quas correctiones, qui volet, videat in fecunda matre talium suspicionum novissima Ernestii editione. Tu scribe et interpunge: *Cubiculo modicum lumen inerat, et ancillarum una, magis ac magis anxia Agrippina „quod nemo a filio.. „ac ne Agerinus quidem; aliam fere littore faciem „nunc.... solitudinem.... ac repentinos strepitus"? et extremi mali indicia.* Voces ipsius Agrippinae sunt, non uno tenore prolatae, sed per intervalla erumpendo anxietatem animi eius graphice depingentes. Mutatam esse cogitat (visu in littus flexo) paene littoris faciem: quippe ibi cum paullo ante fuisset clamor accurrentium cum luminibus auxilio matri Imperatoris strepentiumque mutuis inter semet adhortationibus, nunc, armatā cohorte in multitudinem immissa a Principe, repente erat exortum silentium. Quae dum trepidante animo secum versat, sonitus effractae ab interfectoribus ianuae aures eius percutit. Quo exterrita et „repentinos audiri strepitus"? prolocuta, his iam continens excipit praesagium imminentis exitii: quae postrema verba si quis non ab Agrippina dicta, sed a scriptore adiecta credat, non adversabor.

CAPUT SEPTIMUM.

Loca Livii plura traiectione verborum sanata. Oppugnatio Orei XXXI, 46. illustrata. An Livio tribui possit: muri pars — multis iam locis — subruta procidit. Curtius vindicatus. Narratio de arcis Tarentinae oppugnatione XXV, 11. illustrata. Quid sit vallum intra fossam. Auctor de B. Afr. et Lucianus obiter emendati. Exempla traiectionum ex aliis scriptoribus. Curtius ter emendatus. In Quintiliani declamatione pro paupere Gisb. Koenii εὕρημα. Porcii Epigramma in Terentium (apud Suetonium) emendatum.

Simile illi, quod modo tractavimus, sed dissimile assensu, quo gaudet, lectorum, id emendandi genus est, quod traiectione verborum constat. Quippe de hoc nunc imprimis sunt qui vehementer dubitent, an inter facilia certaque sit critices instrumenta reponendum. Horum sententiam ut gravis convincit D. Ruhnkenii auctoritas ad Rut. Lup. p. 107. id „lenissimum esse, et saepe magnis „mederi difficultatibus" pronuntiantis, item E. Porsoni iudicium Praef. ad Hec. p. 13. et Heusingeri ad Fragm. Cornel. p. 147. triumviro-

rum, qui aetatem triverunt in membranis conferendis; ita nobis quoque contendere licet, plurimis LIVII locis, si summam quaeras probabilitatem in emendando et facillima via, una illa ratione constare sanitatem. Videant, quibus volupe est, insignia exempla XXI, 32. ubi melior lectio servata in Cod. Flor., XLV, 18. ubi *aliquando* a DUKERO suo loco positum, XXX, 35. emendat. DRAKENBORCHII, XXIV, 46. ROELLII, XXVI, 41. RUHNKENII coniecturas aliaque plurima loca, ne nimis inclementer iudicent de his nostris tum Livii tum aliorum scriptorum emendationibus.

Narrat LIVIUS Orei oppugnationem XXXI, 46.: quam urbem diversi Romani et rex Attalus oppugnabant; Romani a maritima arce, regii adversus vallem, inter duas iacentem arces:

> *Et iam quum opera in effectu erant circa Oreum, tum praesidium, quod intus erat, labore assiduo, vigiliis diurnis pariter nocturnisque et vulneribus confectum. Muri quoque pars ariete incusso subruta multis iam locis prociderat, perque apertum ruina iter nocte Romani, quodque super portum est., in arcem perrupere.*

In his, quae literis diductioribus expressimus, ita omni carent sensu, imo tot accumulatas deprehendas ineptias, quot aeque paucis verbis nescio an nullibi. Singulatim exponamus. Nam cum

cum Romani duplici itinere, et per apertum iter ruinâ muri, itemque illud iter quod *(quodque)* supra portum est, in arcem perrupisse dicantur, quale alterum intellexerit iter, haud inepte quaeras. Nimirum ruinâ subruti muri factum, nisi aliena cogitare volumus. At de hoc tum ad tempus facto, quid instans sibi vult tempus *est?* An voluit, etiam tum fuisse, cum scriberet? Ne multa: apparet sententiam postulare praeteritum tempus ut *prociderat*, *perruperunt*, alia: neque locum esse explicativo *que*, quod decepit quosdam interpretes: quasi scripsisset *quod nimirum est* *).

Quae si vere disputata sunt (ut dubitare non sinit loquendi usus), quot novae inde exoriantur difficultates, longum est explicare: sed tamen explicabimus utcumque poterit. Nimirum verba *muri quoque pars ... multis iam locis prociderat* cum ad utriusque partis oppugnationem trahi non posse appareat, quia obstant interiecta *ariete incusso subruta*, qui locus fuerit duplici viae vix ac ne vix quidem intelligas. Refert Romanos a maritima parte, qua oppugnabant, per apertum ruina iter in arcem perrupisse. Quid alterum igitur sibi vult *supra portum* iter, quo simul irruperint? Temerarium sit affirmare, id omnino non pati

*) Hoc sane olim cogitavi, verbaque traiecta eo referenda esse, quo retulimus II, 16. v. supra p. 49. Sed obstat praesens tempus *est*, quod nemo temere pro tempore historico acceperit.

explicationem ex locorum situ; hoc affirmamus, si explicari possit, hanc ipsam esse scriptoris vix explicabilem negligentiam, qui cum alibi clare distincteque scribat, hoc loco in tot tricas coniecerit lectorem. Sed mihi, quaeso, haec ipsa paullo attentius considera: *muri quoque pars multis iam locis.* Cui placeat haec negligentia? Dein: *muri pars ariete incusso subruta prociderat.* Centies occurrit *murus subrutus*, nusquam *subrutus procidit.* Adde quod neque *ruina* proprie dicitur de muro, qui „multis partibus" procidit; totque habes in paucis verbis, quae offendere debeant proprietatis Livianae gnarum, ut per haec sola haud levem depravationis suspicionem motam sentias. Nimirum quae repugnante sensu loco suo mota alieno constiterunt verba *quodque supra portum est*, reponenda et ita distinguenda sunt:

> *Muri quoque (pars ariete incusso subruta) multis iam locis, quodque supra portum est prociderat; perque apertum ruina iter nocte Romani in arcem perruperunt.*

Per partes explicabimus. *Muri* casui recto quod non respondet verbum pluralis numeri, eadem est ratio qua dixit XXV, 5. *Cannensis reliquiae cladis hic exercitus fuit.* XXIV, 48. *Massyli ea gens vocatur.* CURT. V, 13, 8. *Dorso hi (διμάχαι) graviora arma portabant; cum res posceret pedestris acies erat*; ubi frustra N. HEIN-

sius coniecit *erant.* Refertur in his verbum non ad proximum verbum, sed ad insignius. XLII, 63. *Ipse qua duae turres quodque inter eas muri prorutum fuerat, duo millia admovit.* At XXI, 8. *Tres deinceps turres, quantumque inter eas muri erat, cum fragore ingenti prociderant. Quod* pro *quantum* illustravit aliquo loco Dukerus. De duritie orationis per parentheses Livio saepius quaesita diximus supra p. 118. Denique ut hac ratione perspicitur, cur dicat de muro forsitan statim post obsidionem refecto *est,* ut alibi quoque respicit aetatem suam v. c. XXXIV, 38.; ut consentaneum apparet, Romanos a sua parte una via, nimirum qua murus ruinam fecerat supra portum, perrupisse in arcem; ita nunc quoque neminem offendent ista (indigna scriptore) *muri pars — multis locis — subruta procidit*, et *ruina* habet, quo commode et propria sua vi referatur.

In descriptione pugnae ad lacum Thrasimenum XXII, 4. legitur: *Romanus clamore prius undique orto quam satis cerneret, se circumventum esse sensit; et ante in frontem lateraque pugnari coeptum est, quam satis instrueretur acies, aut expediri arma stringique gladii possent.* Vtcumque invertas interpretando verba emolliasque, nulla emergit ex his, quod equidem sentiam, sententia nisi debilis et imperfecta, quasi si quis diceret: „Cum clamor undique accidisset et prius

„quam oculorum usus esset, non fieri potuit quin „se sentirent circumventos". Ita sane concludi licet. At quis prudens talem conclusionem expetat? Contra vis et sanitas inest sententiae; „prius „quam cernerent, senserunt se circumventos", ut V, 38. Quam cum sequens *et ante* omnino postulet, vix dubito traiecta voce scribendum esse:

> *Romanus clamore undique orto, prius quam satis cerneret se circumventum esse sensit, et ante in frontem lateraque pugnari coeptum est quam* etc.

Graviorem depravationem reperisse nobis videmur XXV, 11. ubi narrat arcis Tarentinae oppugnationem capto Tarento ab Hannibale instructam. Sed in ea narratione alius prius locus explicandus est, ante quam illum emendemus. Munimenta describit c. 11. quibus arcem (inexpugnabilem visam) intersepire ab urbe statuerat:

> *Fossa ingens ducta, et vallum* INTRA *eam erigitur: modicoque post intervallo murum etiam eadem regione addere parat, ut vel sine praesidio tueri se adversus Romanos possent.*

Hoc loco quae non sunt dubitata nuper, coniecta, reiecta, ut paene depositus esse videatur? Atqui patebat sensus, si modo POLYBIUM, quem per omnia hic sequitur LIVIUS, et LIVIUM ipsum audire voluissent. Age, breviter comparemus utriusque narrationem. Diserte tradit POLYB. VIII, 34.

Hannibalem, cum intersepire urbem constituisset ab arce, primum e regione arcis erexisse *vallum*: *πρῶτον μὲν οὖν*, inquit, *ἐπεβάλετο προθέσθαι χάρακα παράλληλον τῷ τείχει τῆς ἀκροπόλεως, καὶ τῇ πρὸ τούτου τάφρῳ*. Hoc perfecto, modico a vallo spatio (versus urbem) *fossam* duxit, item arci adversam: *μετὰ δὲ ταῦτα μικρὸν ἀπὸ τοῦ χάρακος ἀποςήσας ὡς πρὸς τὴν πόλιν τάφρον ἐποίει παράλληλον τῷ χάρακι καὶ τῷ τῆς ἄκρας τείχει*. Secundum illam denique propius urbis moenia e terra egesta *aggerem* vallis insuper defixis: *παρ᾽ ἣν ἐκ μεταβολῆς ἐπὶ τὸ πρὸς τῇ πόλει τεῖχος .... ἀνασωρευόμενος* *), *προςέτι δὲ καὶ χάρακος ἐπ᾽ αὐτῆς τεθέντος, οὐ πολὺ καταδεεστέραν τείχους συνέβαινε τὴν ἀσφάλειαν ἐξ αὐτῆς ἀποτελεῖσθαι*. Tandem prope hunc *murum*: *παρὰ δὲ ταύτην ἐντὸς ἔτι πρὸς τὴν πόλιν .... τεῖχος*. Quatruplicis munitionis mentio item apud Livium. *Vallo* coeptum opus (§. 2.). Quo nullo prohibente coepto (et perfecto), *fossa* ingens ducta: *vallum* deinde INTRA eam (Polyb. *secundum eam*) erectum, modicoque post intervallo *murus* etiam

*) Locus mutilus, de cuius sensu tamen non ambigitur. Coniecit REISKIUS *γῆς ἀνασωρευομένης*. Id fere expressit XYLANDRI translatio p. CCCLXXVIII. *Volgendts hat er vnferr vō dieſer ſchantz gegen der Statt einē graben in gleicher weitte von der ſchantz vn̄ Schloſs Mauren geführt, derselb auch gegen d' Statt ein Schüttin u. ſchantz gemacht, das es nit viel geringer zur ſicherheit geweſen ist, weder ein Maur.*

additus. Iam quae tandem fuit causa, cur cunctanter scriberet DUKERUS? „Quod hic est *vallum intra eam* puto munitionem esse, quam POLYBIUS „inter fossam et murum versus urbem posuerat". Qua sententia propter duram ellipsin (?) reiecta nuper coniecit Goettingens. editor *vallum in terra eruta erigitur.* Nulla erat neque dubitandi neque emendandi causa. *Intra fossam* est *versus, introrsus ad fossam.* Sed de hac significatione adeo ambigue tradunt lexicographi (etiam FORCELLINUS), cum *intra parietes* eam componentes, ut denuo exemplis adstruenda sit. GELLIUS XII, 13. quo loco disputat, quid sit *intra calendas pronuntiare*, ut suam muniat explicationem affert locum CICERONIS e Verrinis: *Locus intra Oceanum iam nullus est, quo non libido iniquitasque pervaserit.* „Non vult", inquit, „dicere *in* „*Oceano.* Terras enim demonstrat omnes, quae „Oceano ambiuntur, quae sunt *citra Oceanum*, non „*in Oceano.* Neque enim videri potest insulas „significare nescio quas, quae penitus esse *intra* „aequora ipsa Oceani dicuntur". Huic alium addit Ciceronis locum: *Modice hoc faciam aut etiam intra modum* i. e. „non ad ipsum modum, „sed retro paullulum et citra modum". Et pro P. Sextio: *intra montem Taurum;* „sic dicit, ut non „significet in monte Tauro, sed usque ad mon- „tem Taurum cum ipso monte". Adde his SALLUST. Iug. c. 18. *Ex eo numero Medi, Persae et*

Armenii navibus in Africam transvecti, proximos nostro mari locos occupavere. Sed Persae intra Oceanum magis: ubi recte probat Cortius Badii explicationem „introrsus ad Oceanum". Livius V, 35. *intra Apenninum* eodem sensu, v. Gronov. Observ. I, 10.

Sequuntur verba, quorum causa illa praemittenda esse duximus. Nondum exstructo ultimo munimento profectus Hannibal, relicto modico praesidio, ad Galaesum flumen posuit castra.

> *Ex iis stativis regressus ad inspiciendum opus spem cepit etiam arcem expugnari posse. Et est non altitudine ut cetera tuta, sed loco plano posita, et ab urbe muro tantum et fossa divisa.*

In his sensum, qui requiritur, facile perspexit Drakenborchius; sed quem extorsit, non expressit. Omnino requiritur ad quod referatur *cetera*, sive id verbis expressis additum, sive ex aliquo praecedentium verborum assumendum. Iam quid tandem assumere licet e prioribus praeter *arx?* At nihili hoc est: *et est non altitudine* (arx) *ut cetera* (arx) *tuta*; seu malis *ceterae partes arcis:* neque exit inde, quod quaeritur (imprimis cap. initio comparato): *et est non altitudine ea parte arx, ut cetera, tuta*. Ambigentes de sensu et dubii anne exciderit aliquid, ad proxime sequentia pervenimus:

Quum iam machinationum omni genere et operibus oppugnaretur, missum a Metaponto praesidium Romanis animum fecit, ut nocte ex improviso opera hostium invaderent. Alia disiecerunt, alia igni corruperunt; isque finis Hannibali fuit EA PARTE *arcem oppugnandi.*

Haec verba qui legerit, quis non deferatur in eam sententiam, Poenum, cum a parte urbis arcis oppugnandae finem fecerit, ab altera i. e. maritima (cf. init. c. 11.) oppugnationem instituisse? Hanc cogitationem, iustissimam sane, cum quodammodo turbant adiecta: *Reliqua erat in obsidione spes, nec ea satis efficax,* tum multo magis deinceps dicta, ubi nulla prorsus oppugnationis mentio, sed obsidionis tantummodo navibus a mari, munitionibus a terra. Neque aliter Polybius VIII, 36. Tom. III. p. 85. *Οὗ γενομένου τὸ μὲν πολιορκεῖν τὴν ἄκραν Ἀννίβας ἀπέγνω.* Quid igitur voluit adiectis *ea parte,* quae deludunt lectorem? An excidisse ea putabimus scriptori, quasi nihil cogitans*)

*) Ut sunt interpretes quidam, qui nihil cogitantes praetereunt corruptelas, aut intellexisse se putant, quae non intellexerunt. Clarum exemplum talis *ἀβλεψίας* est apud AUCTOREM de B. Afr. c. 3. *Oppidani interim muros armatis complent: ante portam frequentes considunt ad se defendendum: quorum numerus duarum legionum* INTUS *erat.* In his verbis, quem sensum habet *intus,* ut a nemine notatum sit? Ne speraveris ab ullo explicatum iri! Conieceris *iustus;* sed huic verborum collocatio repugnat. Verum est;

apposuerit? Scilicet haec veterum redundantia est in oratione, unde exoriatur ambiguitas! Audax videbitur coniectura, sed quae difficultatem facile removeat. Quid? si verba EA PARTE illo, quo sensum turbant, loco movenda pertinuerant eo, ubi sine sententiae detrimento abesse non possunt? Si scripserat illo loco:

Et est non altitudine EA PARTE, ut cetera, tuta, sed loco plano posita, et ab urbe muro tantum ac fossa divisa.

Hoc autem:

Alia disiecerunt, alia igni corruperunt, isque finis Hannibali fuit arcem oppugnandi. Reliqua erat in obsidione spes, nec ea satis efficax etc.

Iam omnia sana erunt, clara, venusta.

Vnum nunc adiungamus LIVII locum. Lib. XLII, 8. legitur: *Atrox res visa senatui Statiellates, qui uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus Romanos, TVM QVOQVE oppugnatos non ultro inferentes bellum, deditos in fidem Pop.*

---

quorum numerus duarum legionum INSTAR *erat.* Ita loqui amat c. 19. Liv. XLII, 55. XXVI, 28. Simile quid habes in LUCIANO Q. H. C. S. c. 7. *Ἀγνοοῦντες ὡς οὐ στενῷ τῷ Ἰσθμῷ διώρισται καὶ διατετείχισται ἡ ἱστορία πρὸς τὸ ἐγκώμιον, ἀλλά τι μέγα τεῖχος ἐν μέσῳ ἐστὶν αὐτῶν*: ubi nemo non offensus Isthmo Corinthiaco, quod hunc non sequatur murus Sinarum, audacter scribet *οὐ στενῷ τῳ ἰσθμῷ.*

Rom. omni ultimae crudelitatis exemplo laceratos ac deletos. Turbatum verborum ordinem sensus et recta verborum coniunctio postulant, ut ita restituamus. *Atrox visa res senatui, Statiellates, qui uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus Romanos,* TVM QVOQVE *non ultro inferentes bellum, oppugnatos; deditos in fidem Pop. Rom. omni* etc. *Tum quoque* refer ad *antea,* quod assumendum e *tulissent.* XXXIX, 47. *Honorisque eius causa missuros in Macedoniam legatos, ut, si quid minus factum sit quam debuerit,* t u m q u o q u e *sine piaculo rerum praetermissarum fiat.* IX, 41. *Tum pacem petentes, quod uti ea quum daretur, noluissent, adspernatus;* ubi GRONOVIUS P. coniecit *iam.* Sed vix alia est particula in toto Livio, cui iniquiores deprehendas viros doctos, leviculae rei pervicaci ignoratione; scil. *tum* simpliciter usurpari pro *nunc,* si scriptori placuerit narrationis oblito aliqua e sua persona proferre. *) Lib. XXI, 35. ubi Hannibal militibus suis: *Moenia eos tum transcendere non Italiae modo, sed* etc. quam aliena sunt, quae effutit Strothius! Vidit sensum VOSSIUS corrigens *iam. Nunc* habet SILIUS III, 509. At idem est *tum.* XXXII, 19. *Achaei Philippum non ex iis, quae tum ad tempus faceret, aestimantes, graviorem post bellum dominum futurum cernebant.*

*) Eandem rem tetigit v. d. in Eph. litt. Ien. Causam unus acute vidit BAUERUS ad Liv. locum, qui nunc non succurrit quaerenti.

Terent. Eun. II, 2, 50. *Tum tu igitur paullum da mihi operae.* Sall. Iug. c. 98. *Ceterum vetera omittere, ac tum, si per Marium liceret, se legatos ad Senatum missurum.* Liv. XXII, 3. Eadem significatio est antiquioris formae (v. Quintilianus) *tunc.* Liv. I, 25. *Illorum tunc arma, illorum intueri manus.* Maluerunt nuper *nunc.* Sic explica Taciti Ann. II, 9. *Erat is in exercitu cognomento Flavius, insignis fide et amisso per vulnus oculo, paucis ante annis duce Tiberio. Tum permissum* etc. Intelligimus, quasi dixissit: „ei petenti nunc permissum". Imprimis hic usus frequens est Livio. XXV, 34, 3. *Masinissa erat eo tempore Carthaginiensium, quem deinde clarum Ro. fecit amicitia. Is tum cum equitatu Scipioni occurrit* etc. Id. XXVIII, 19. Hinc fortasse expediendus locus XXIII, 46. *Inter multos nobiles equites Campanos Iubellius erat, cognomine Taurea. Civis indidem erat, longe omnium Campanorum fortissimus eques: adeo ut quum apud Romanos militaret, unus eum Romanus Claudius Asellus gloria equestri aequaret. Hunc Taurea quum diu perlustrans oculis obequitasset hostium turmis, tandem facto silentio, „ubi esset Claudius „Asellus"? quaesivit.* Vt concedam Drakenb. *perlustrare* (pro *quaerere*) apud poetas occurrere quarto casui iunctum, quocum non occurrit apud prosae orationis scriptores, neque sic tamen dubitationi est exemtus locus. Nam quae tandem ea verbo-

rum collocatio est? anne dignior poeta, quam pedestris orationis scriptore? Ipsa Livii coniungendi ratio ad hanc nos ducit emendationem: *TUNC Taurea quum* etc.

Vt in prioribus capitibus, ita hoc loco exempla ex aliis scriptoribus desumpta rem, de qua agitur, clarius patefacient. CURTIUS Lib. VII, 1, 22. *Ceterum etiamsi militis tui vel in agmine deficientis, vel in acie periclitantis.. aliqua vox asperior esset accepta; merueramus fortibus factis, ut malles ea tempori NOSTRO imputare, quam animo.* At *tempus nostrum, vestrum, meum, tuum* etc. cum dicunt Romani, opportunum ei intelligunt, cui contingit; idem valet de *diis nostris, locis* etc. v. GRONOV. IV. Observ. c. 17. Quae reputanti quidvis potius quam *nostro* scripsisse videbitur. Repone vocem in locum suum, et integra erit sententia. Scribe: *Vt malles ea tempori imputare, quam animo NOSTRO.* Apud eundem scriptorem VIII, 9, 20. legitur: *Ingenia hominum sicut ubique, apud illos locorum QVOQVE situs format.* Non dubito quin integriores codd. aliquando praebituri sint: *Apud illos QVOQVE locorum situs format.*

Similis huic locus est CURTII VII, 3, 9. De tuguriis loquitur Parapamisadarum: *Ceterum structura latior ab imo paullatim incremento operis in arctius cogitur: ad ultimum in carinae maxime modum coit. Ibi foramine relicto superne lucem ac-*

cipiunt AD MEDIVM. *Vites et arbores, si quae in tanto terrae rigore durare potuerunt, obruunt. Penitus hyeme defossae latent; quum nive discussa aperiri humus coepit, coelo soloque redduntur.* Hic locus ut etiamnunc legatur depravatissimus, una fecit DIODORI prava cum CURTIO comparatio. Quid igitur refert Diodorus (XVII, 82. Vol. II. p. 223. Wess.), ut sententiam eius a Curtio expressam agnoscas? *Αὗται δὲ τὰς τῶν οἰκιῶν στέγας ἔχουσιν ἐκ πλίνθων εἰς ὀξὺ συνηγμένων ἐχούσας καμάραν· κατὰ δὲ μέσην τὴν ὀροφὴν ἀπολελειμένης διαυγείας, διὰ ταύτης ὁ καπνὸς ἐκφέρεται.* Inde igitur, quod tradit DIODORUS, „medio tecti fastigio foramen relictum est, quo fumus emittitur", CURTIUM dedisse contendunt, ut verba distincta exhibuimus. Quos si nihil movet verborum collocatio, quae talem sensum respuat; nihil positum *ibi* h. e. in summo fastigio plane diversam prodens sententiam; nihil denique ineptus sensus e vera emergens verborum interpretatione, qua tuguria dixisset usque *ad medium* luce collustrata, cetera scilicet spissis tenebris involuta, cuius quidem ratio nulla apparet; at movere saltem debebat sequens *penitus*, quod ad se vindicat verba. Quare, vel invito Diodoro, traiectis vocibus scribendum: *Ibi foramine relicto superne lucem accipiunt. Vites et arbores, si quae in tanto terrae rigore durare potuerunt,* AD MEDIVM *obruunt. Penitus hyeme de-*

fossae latent. Columella de Arbor. c. 4. *Praeterea post haec vinaceae heminam uvae albae in nigra, uvae nigrae in alba ponito, atque ita scrobem vel sulcum cum stercorata terra ad medium compieto.* Adiecto nuper *humo* e cod. Theocr. (quem cod. famam suam aequasse neque hoc neque aliis locis reperimus) facile carebimus, cum *obruere* saepius sit *terra obruere.* Tac. Ann. I, 29. etc.

Egregium est ex hoc emendationis genere inventum Gisb. Koenii. Quintilianus in Declam. pro paupere c. 16. p. 291. Burm. in laudem apum dicit: *Iam primum futurae laudabilis vitae digna principia: non illas libido progenetrix domitrixque omnium animalium Venus, utque homines in excusationem sui fabulis tradiderunt etiam Deorum* POSTERITAS *has regnis suis excepit. Abest inimica virtutum voluptas castis sine labe corporibus. Solae omnium non edunt foetus, sed faciunt. Ipsae paullatim, sicut stipatae sunt, per mella vivescunt: et ut oportet animal laboriosum ex opere nascuntur.* Operae pretium est evolvere hoc loco quid attulerit Burmannus ad *posteritatem* illam Deorum explicandam; surdus adversus Codd. lectionem (W. E. et Voss. omnium) *nascitur.* Nimirum stuporis notam subeat, qui in dubium trahet palmariam correctionem G. Koenii Spec. crit. inaugur. c. 3. *Non illas libido progenetrix omnium animalium, utque homines.. fabulis tradiderunt, etiam Deo-*

rum, has regnis suis excepit... Ipsae paullatim sicut stipatae sunt per mella vivescunt, et ut oportet animal laboriosum ex opere nascitur POSTERITAS.

Agmen claudat Porcii carmen in Terentium, a Suetonio in vita Terentii servatum, non tam argumenti gravitate nobilitatum, quam summorum virorum, qui in emendando eo certamen doctrinae posuere, contentione. Vulgo ita legi solet:

Dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit,
Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus:
Dum ad Furium se coenitare et Laelium pulchrum putat:
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi,
Ob florem aetatis suae IPSVS SVBLATIS REBVS *ad summam inopiam redactus est.*
Itaque e conspectu omnium abiit Graeciam in terram ultimam.
Mortuus est in Stymphalo Arcadiae oppido, nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nihil Furius.
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillume;
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,
Saltem ut esset quo referret obitum domini servolus.

In his versibus quot peperit emendationes v. 5. notius est e Burmanni et Oudendorpii notis, quam ut explicari debeat *). Consentiunt plerique in delendis vel his vocibus *ipsus sublatis rebus*, vel aliis, quae, unde natae sint, nemo demonstrat. Aliam nuper ingressus est viam VIR EXIMIUS quidam, in prioribus nonnulla egregie emendans, quartum autem, quintum et sextum versum ita correctos proferens:

Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem aetatis suae... ipsus.......
Suis ablatis rebus ad summam inopiam redactus est.

Cuius ratio si probari posset, nobis maxime faventibus probaretur, qui in summa inveniendi felicitate nihil non egregium novimus profectum ab illo. At tot sunt quae refragari huic sententiae videantur, ut plane evidenterque evincendae velimus occasionem datam praestantissimo viro his dubitationibus nostris. Ac primum immensus ille hypermeter (v. 5.) vix tantam movet offensionem aperta sua corruptela, quam sequentes numeri, si cum ceteris compares, paene innumeri:

Itaque

*) Adde v. d. emendat. in C. D. BECKII V. C. Commentariis Soc. Phil. Lips. III, 1. p. 34.

Itaque e conspectu ómnium abiit Graéciam,
in terram últimam:
Mórtuus est in Stýmphalo Arcadiae oppido,
nihil Publius.

Adeo claudi sunt, nullo paene verbo legitimo sono, ne nominibus quidem propriis prolatis; ut, qui seorsim legerit, latere in iis depravatos iambicos suspicetur: v. c.

Itaque é conspectu ómnium abiit Graéciam in
terram últimam.

Ex his cum alter ne ad digitos quidem possit exigi, nisi demendo seu contrahendo, quidni probabilius tale remedium eligatur, quod et his numeros suos restituat, et cetera nulla adhibita vi redintegret? Deinde quam lacunam illa ostendit emendatio, eam nos quoque agnoscimus, sed alio loco, idque historia ducti. Quid enim hoc sibi vult? *Abiit Graeciam, in terram ultimam.* Num Graecia *terra ultima* dici potuit tum, cum scriberet Porcius, patefacta iam Syria et aliis Orientis regionibus? Porro neque vere hoc dicitur: *abiit in Graeciam.* Abiit potius in *Graeciam terram* eam, quae *ultima* est *terrarum.* Quippe Asiam; mortuus est in Arcadia, rediens ex Asia. Clare Volcatius Epigr. (apud Suet. c. 4.)

Sed ut Áfer sex populo édidit comoédias,
Iter húnc in Asiam fécit. Navim quúm semel
Conscéndit, visus númquam est, sic vitá vacat.

Quare hoc loco cum manifesta sit lacuna (unius

forsitan verbi) quam explendam aliis relinquimus, cetera ita restituenda censemus:

Dúm lasciviam nobilium et laúdes fucosás petit:

Dúm Africani vócem divinam ínhiat avidis aúribus:

Dúm se ad Furium coénitare et Laélium pulchrúm putat:

Dúm se amore ab híscé credit crébro in Albanúm rapi:

Ób florem aetatis suae ad summam ínopiam redáctus est.

Ítaque IPSVS SVBLÁTIS REBVS *é conspectu ómnium*

Ábiit Graeciam ín terram, ultimám TERRARUM; *mórtuu' st*

Ín Stymphalo Arcádiae oppidó: nihil ei Públius

Scípio profuit, nihil ei Laélius, nil Fúrius,

Trés per id tempús qui agitabant nóbiles facíllume:

Eórum ille opera né domum quidem hábuit conductítiam,

Sáltem ut esset quo referret óbitum domini sérvolus.

V. 1. 2. 9. et 10. amplexi sumus correctiones in novissima SUETONII editione. Retinuimus autem v. 3. *coenitare*, cuius loco ibi legitur *coenare.* Licet *Furium* δισυλλάβως efferri, ut v. 9. *Scipio.* V. 4. scripsimus *amore*, etsi scribi poterat *amatum*, ne-

que omnino damnamus ἀσύνδετον *amari* et *rapi.* V. 7. significavimus quid excidere potuerit, etsi non difficile sit aliud quiddam excogitare. V. 7. et 8. ne quis obiiciat caesuram neglectam, videat Terentii

Andr. V, 4, 4. *Quíd tu Athenas insolens. evénit; sed hiccinést Simo.*

Phorm. III, 2, 11. *Tú cognatus, tú parens, tu amícus, tu: garrí modo.*

Hec. V, 4, 8. *Quís me est fortunátior venustátisque adeo plenior.*

et Hec. V, 1, 37. 38. 40. etc. Hiatus denique si quem forte offendant v. 6. et 8., in memoriam ei revocamus Horatii *Esquilinae alites*, legendamque commendamus longam R. Bentleii de ea re disputationem, ad Hor. Od. III, 14, 11. Cetera quae mutata sunt, indicata sunt. Iam haec emendatio si et aliis non temere trangredi videbitur verisimilitudinis leges, et imprimis illi viro, quocum iucundissime nobis contigit de h. l. συμφιλολογεῖν, impense gaudebimus.

CAPUT OCTAVUM.

*Emendationum sola coniectura specimen alterum *). Nonnullae Silii auctoritate munitae. Capenates Feroniae a c c o l a e, quo sensu. R u d e r a aes infectum. Attii Fragmenta duo apud Festum numeris inclusa. Strabonis error. Iacere et c o n f e r r e et a b i i c e r e. Immixti dicuntur h o m i n e s r e b u s non r e s h o m i n i b u s. O f f u s o terrore opprimere, non e f f u s o dicitur. V a n u m et f a l s u m quid differant. Coniectura de loco Donati. Praepositio cum adiectivo pro adverbio et adiectivo. Livius sexies emendatus.*

Expositis rebus, quae permoverent Hannibalem ut coeptam Romae oppugnationem omitteret, reditum eius in Campaniam Livius describit XXVI, 11. Ibi haec leguntur:

> *His motus ad Tutiam fluvium castra retulit, sex millia passuum ab urbe; inde ad lucum Feroniae pergit ire, templum ea tempestate inclytum divitiis. Capenates* ALIQVI *accolae eius erant; primitias frugum eo donaque alia pro*

*) Addatur, si placet, priori (cap. 2.), et coniungatur cum tertio et quarto (cap. 12. et 13.)

copia portantes, multo auro argentoque id exornatum habebant.

Quo in loco, saepius iam criticorum censuris notato, nondum repertum scimus, quod ad veritatem aliquo modo accedat. Ne dicamus de Cluveriana ratione, quam satis Gronovius refellit, ipsius Gronovii correctiones pluribus impeditae sunt difficultatibus, quam primo adspectu putes. Corrigit Gronovius ex vetere Put. MS. scriptura *alique, aliique qui.* Iam hoc quidem vel diserto Dionysii *) testimonio satis certum, ad plures vicinasque gentes templi religionem pertinuisse; sive quod communiter ab illis exstructum fuerit, ut passim in Graecia Italiaque templa (templi Romae exstructi a pluribus populis mentio est Lib. 1.); sive ob insignem sanctitatem eo tamquam in sacrarium antiquitus donis congestis, quod e Silii verbis suspicere. Ceterum de aliis templi accolis praeter Capenates, nec alibi proditur, nec prodi adeo potuit. Quippe si Livio fides (Lib. XXXIII, 26. XXVII, 4.) perspicuum, in Capenate agro fuisse templum: cuius agri quoscumque tandem reperias accolas, eos nemo temere ac-

*) Dionysius III, 32. *Ἱερόν ἐστι κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης· — εἰς δὲ τὸ ἱερὸν τοῦτο συνῄεσαν ἐκ τῶν περιοίκων πόλεων κατὰ τὰς ἀποδεδειγμένας ἑορτὰς πολλοὶ μὲν εὐχὰς ἀποδιδόντες καὶ θυσίας τῇ θεῷ, πολλοὶ δὲ χρηματιούμενοι.*

colas Feroniae appellarit. Nimirum sumitur *accola* non tralaticia et vulgari significatione, qua differt ab *incola*, sed exquisitiore, qua VIRGILIO Romanus *accola* dicitur Capitolii, qua LIVIO Cacus *accola* fori boarii, *Ciceroni* Ennenses *accolae* Cereris. Nolumus pluribus refellere coniecturam, cui ne GRONOVIUS quidem multum tribuerit alteram adiiciens *Faliscique*, audaciorem eam neque tamen probabiliorem; tum propter ea, quae dicta sunt, tum, quod si armorum societatem aut vicinitatem populorum, aut denique sanguinis coniunctionem unice in emendando spectes, etiam ad partes vocari possint *Veientes* et *Sabini*, et alii, quos suppedidat refertum antiqua eruditione opus CLUVERII Italia antiqua. Iam mihi consideres illa „pro copia portantes". An voluit „pro divitiis"? Imo inopiam designat. v. DUK. ad XXVIII, 21, 10. Tum „divitias au„rumque multum habebant"; anne sententiae vis ipsa requirit quod pugnantia haec secum componat? Scribe:

> *Capenates ATIQVI (antiqui) accolae eius erant; primitias frugum eo donaque alia pro copia portantes, multo auro argentoque id exornatum habebant.*

Quod ipsum, opinor, apud LIVIUM legit, et expressit SILIUS XIII, 82.

> *His fractus ductor, convelli signa maniplis*
> *Optato laetis abitu iubet. Itur in agros,*

Dives ubi ante omneis colitur Feronia luco,
Et sacer humectat fluvialia rura Capenas.
Fama est, intactas longaevi ab origine fani
Crevisse, in medium congestis undique donis,
Immensum per tempus opes, lustrisque relictum
Innumeris aurum, solo servante pavore.

Quem locum, prave a nonnullis acceptum, nemo elegantius (ex locorum situ) explicuit Cluverio. Ceterum ut hac ratione intelligitur, quomodo etiam modice collatae opes decursu annorum in inmensum creverint, ita de industria Livius, neque tali occasione oblata, hic illic gentium antiquitatem prodit. I, 32. *Ius ab antiqua gente Aequicolis, quod nunc fetiales habent, repetiit.* V, 32. *Post hos Salluvii prope antiquam gentem Laevos Ligures considunt;* crebrius poetae v. c. Virgil. Aen. VIII, 600.

Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Relligione patrum late sacer — — —
Sylvano fama est veteres sacrasse Pelasgos.

Et Lib. VII, 795. XI, 253. etc. Qua causa inducti, quaeris? Nimirum vetera „maiestas quae„dam, et, ut sic dixerim, religio commendat". Quod non mirabile in eo scriptore, qui animum sibi fieri antiquum sentiebat (XLIII, 13.) quoties descenderet in antiquitatem.

Sequitur eod. cap. locus aliquanto difficilioris explicationis, ceterum emendationis, nisi fallimur, etiam lenioris. Pergit:

His omnibus donis tum spoliatum templum:
aeris acervi, quum rudera milites religione INDVCTI *iacerent post profectionem Hannibalis*
magni inventi:

Quae rudera sint, egregie docuit Dukerus Cincii auctoritate apud Festum v. *Rodus:* cuius verba adscribimus, quo emendentur. Festus: *Rodus vel Raudus significat rem rudem et imperfectam: nam saxum quoque raudus appellant poetae, ut* Attius *in Melanippo:*

Constitit, cognovit, sensit, conlocat sese in locum
Celsum, hinc manibu' rapere raudus, saxeum grande et grave *).

et in Chrysippo:

Neque quisquam a telis vacuus... sed uti cuique... obvium
Fuerat ferrum, alius saxum rodum......

Vulgus quidem in usu habuit non modo pro aere imperfecto, ut Lucilius *cum ait:*

Plumbi paxillum rodi linique metaxam.

sed etiam pro signato, quia in mancipando cum dicitur „rudusculo libram ferito" asse tan-

---

*) Vulgo sine distinctione et *constituit. Grave* pro *gravem* propositum iam est in edit. Annae Dacieriae. In Coll. Pisaur. Tom. IV. p. 325. versiculi hoc modo distincti leguntur:

Constituit, cognovit, sensim conlocat se in celsum locum,
Hinc manibus rapere rodus saxeum grande et grave.

Quod referre est refellere.

gitur libra. CINCIUS *de verbis priscis sic ait*: „*Quemadmodum omnis fere materia non deforma-* „*ta* (v. Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 90.) *rudis ap-* „*pellatur* *), *sicut vestimentum rude non perpo-* „*litum, sic aes infectum rudusculum. Apud* „*aedem Apollinis aes conflatum iacuit; id ad Ru-* „*dus appellabant. In aestimatione censoria aes* „*infectum rudus appellatur*" etc. Iam ex hoc loco cum et quid sint rudera appareat, eaque inter donaria in templis collocata fuisse; proprium conferendi verbum notant *iacere* interpretes: v. c. SUETON. Aug. 57. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute eius stipem iaciebant*: cuius loco LIVIUS III, 18. *iactare.* v. Lips. ad Tac. Ann. XIV, 15. Sic optime procedit interpretatio. At frustra is labor insumitur, ubi id, quod explicatur, non intelligitur. Nam quae tandem subita fuerit militum religio rudera quasi stipem spoliatae a se Deae conferendi? Vnde ruderum porro copia, quae nusquam militibus in honore habita prodit veterum memoria; praesertim in terra ruderum non admodum ferace? Etiam perspicacissimi interpretis animus ad haec contraria inter se concilianda obtorpuerit, non unius DUKERI, qui obscuritatem, id ipsum professus, dispellendam aliis reliquit.

---

*) Vide quomodo huius loci opportunitate varias significationes v. *rudis* explicet D. RUHNK. ad Mallium Theod. p. 33.

Lucem aliquam in his tenebris conspicere tibi videare STRABONIS locum conferendo; sed prima specie modo; mox ex oculis elabitur: de quo monemus, ne quem in fraudem inducat. STRABO igitur V, 9. p. 226. Almelov. *Ὑπὸ δὲ Σωράκτῳ ὄρει*, narrat, *Φερωνία πόλις ἐστὶν ὁμώνυμος ἐπιχωρίῳ τινὶ δαίμονι, τιμωμένῃ σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων, ἧς τέμενός ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὴν ἱεροποιΐαν ἔχον· γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξίασιν ἀνθρακιὰν καὶ σποδιὰν μεγάλην οἱ κατεχόμενοι ὑπὸ τῆς δαίμονος ταύτης ἀπαθεῖς, καὶ συνέρχεται πλῆθος ἀνθρώπων ἅμα τῆς τε πανηγύρεως χάριν, ἣ συντελεῖται κατ᾽ ἔτος, καὶ τῆς λεχθείσης θέας*. Quid? si hoc miraculum, tempore opportuno ostensum a sacerdotibus, formidinem Deorum militibus iniecerit? Sed Strabonem in vicinitate errasse, diversaque miscentem templo Feroniae attribuisse, quae propria essent Apollinis templo ad montem Soracte — „ubi sacrificio annuo.... super ambustam „ligni struem ambulantes non adurebantur", Plin. H. N. VII, 2. — tot veterum et Latinorum clamant loca (v. Cluverius), ut indignum sit fidem his derogare, externo et uni tribuere. Neque, ut tale simileve miraculum animos stupore defixerit, etiamsi novum Deum Tutanum excites inter Capenates, qui profiteatur de se:

Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum
Tutanus, hoc Tutanus (Romae) nuncupor.
Hoc propter omnes, qui laborant invocant.

multum ad explicationem proficis. Si impietatis suae expiandae causa rudera conferunt, cur ablatos thesauros, aurum argentumque, securi religionis secum portant? Imo cur inter diripiendum rudera iaciunt? Nam ita explicamus praeteritum infectae rei *iacerent.* Iam vide quot difficultates unâ litterulâ mutatâ removet emendatio nostra. Legimus:

> *Aeris acervi, quum rudera milites religione* INTACTI *iacerent, post profectionem Hannibalis magni inventi.*

Voluit: „cum milites rudera abiicerent, spargerent". Quo sensu *iacere* non apud Plautum solum, ut visum Forcellino h. v. sed etiam apud Curtium legitur III, 13, 9. *Arma iacientes, quae paullo ante ad tutelam corporis sumpserant;* et *iactare* saepius apud Livium. Cur autem abiecerint? Quippe quae „comparatione meliorum" (ut alicubi ait Curtius) „avaritia contempserat". Quae adeo simplex est ratio, ut nemo notandae eius voluptatem sibi praereptam velit a scriptore. Ceterum maior haec impietas (veterum opinionibus) *sacra disiicere* maioremque Deorum contemtum praeferens, quam auferre. Sacra templis ablata belli temporibus legimus apud Thucydidem, Livium, alios, nullo sacrilegio admisso, modo restituerentur. Disiicere et disturbare ea videbatur non *sacrilegi,* sed *hostis* sacrorum religionumque, ut clare

Cicero in Verr. I, 13. Sed, ne assensum alicuius videar ambire, Silium vide l. l.

Haec avidas mentes et barbara corda rapina
Polluit; atque armat contemtu pectora Divum.

vixque dubitabis, quod scripsimus, eum legisse *).

Eodem libro c. 37. *Neque aliud magis tempus fuit quo Charthaginienses Romanique pariter variis casibus* IMMISTIS *magis in ancipiti spe ac metu fuerint.* Et sensus et Latinitas flagitant IMMISTI. Eleganter homines rebus mixti, immixti, permixti dicuntur, non res hominibus. IV, 6. *Ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur*

*) Ceterum nemini suademus, ut prius assentiat, quam perpenderit quae nuper de hoc loco disputans scripsit Chr. Theophr. Flade in libro inscripto *Römisches Bergrecht* p. 14. Ex quo, quae huc faciant, cum liber in paucorum manibus sit, transcribamus: *Sie hatten,* inquit, *die Erze anfangs, wie es beym Plündern zugehen mag, als etwas glänzendes auch mit aufgerafft. Wie sie nun ihre Schätze genauer besahen, wußten sie nicht, was mit diesen buntglänzenden Steinen anzufangen sey u. warfen sie weg, da sie zumahl als rohe schwachköpfige Menschen in eine diesen gewöhnliche Aengstlichkeit verfielen. Ein Soldat sprach zu dem anderen, wer weiß, was damit ist, d. h. was dem Böses begegnet, der es bey sich trägt. Einer warf seinen Vorrath weg, und die anderen folgten.* Disputat v. d. quasi in re praesenti fuerit: qua ratione difficultates dissolvit cuicumque alii inexplicabiles apparituras. Nobis, an his dapibus fruendum sit, nondum liquet.

cavent, ne societur sanguis. Tacit. Ann. III, 38. *Antistium Veterem retraxit ut turbidum et Rhescuporidis consiliis* p e r m i x t u m. Ann. IV, 40. *Mirum hercle si C. Proculeium et quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate vitae, nullis P. R. negotiis* p e r m i x t o s. *M i x t i* Tac. Ann. XI, 24. Ceterum *immixti* etiam legitur in Glossario Liv. Iudicio, an errore nescias. Iudicium quidem saepius requirimus in utilissimo opere.

Simile vitium est libri *vigesimi secundi* c. 19. *Duae Massiliensium speculatoriae praemissae retulerunt, classem Punicam stare in ostio fluminis, castraque in ripa posita. Itaque ut improvidos incautosque universo simul* effvso *terrore opprimeret, sublatis ancoris ad hostem vadit.* Scribe, quod Latinitas exigit, *universo simul* offvso *terrore.* Nihil huc faciunt „effusa laetitia", „effusus „risus", quae aliquando accommodabat Rittershusius loco Phaedri II, 4. Recte ibi nunc editur *Terrore* o f f u s o *et perturbatis sensibus.* Lib. XXXIX, 15. *Si omnia nudavero ne nimium terroris* o f f u n d a m *vereor.* XXXIII, 7. *Sed ut qui nihil minus illo die propter* o f f u s a m *caliginem quam proelium exspectasset.* Sic scribendum esse apud Curt. IV, 12, 20. *Sed caligo quam circa humidi* e f f u d e r a n t (l. o f f u d e r a n t) *montes universam quidem rei faciem non abstulit, ceterum* etc. et ibid. c. 36. vidit I. Markland Ep. cr. p. 39. Idem vi-

tium iterum eximendum est LIVIO XXII, 43. *Id quum ipsis castris percommodum fuit; tum salutare praecipue futurum erat, quum aciem dirigerent ipsi aversi, terga tantum afflante vento, in obcaecatum pulvere* EFFVSO *hostem pugnaturi.* Scribe OFFVSO. V. GRONOVII Obs. IV, 21.

Magis obscuratus est sensus eodem libro c. 41. *Ceterum temeritati consulis ac praepropero ingenio materiam etiam fortuna dedit: quod in prohibendis praedatoribus, tumultuario proelio* AC *procursu magis militum quam ex praeparato aut iussu imperatorum orto, haud quaquam par Poenis dimicatio fuit.* Difficultatem h. l., qua haud leviter premitur sententia, unus acute sensit VOSSIUS. Sane, ut constructio constet aliquo modo, addenda erit vox: „quod in prohibendis praeda„toribus, tumultuario proelio ac procursu magis „militum quam ex praeparato aut iussu impera„torum pugna orta" etc. Corrigit VOSSIUS *ex procursu* etc. Aliud quaerimus. Notum est Livii et omnium historicorum variandi praepositiones studium, etiam ubi se non respiciunt. Denique potius dicit „oritur pugna ab re" quam „ex re". X, 3. *Etruriam rebellare ab Aretinorum seditionibus motu orto, nunciabatur.* XXIV, 24. *Et quum tumultus ab re in speciem atrociore ortus esset.* Quare scribendum:

Ceterum temeritati Cos. — materiam etiam

fortuna dedit: quod in prohibendis praedatoribus, tumultuario proelio AB *procursu magis militum quam ex praeparato aut iussu imperatorum orto, haudquaquam par Poenis dimicatio fuit.*

In „ab procursu" ne quis offendat, ut sunt delicatulae nostrorum hominum aures, sciat durius ubique historicos praeferre molliori. XLII, 62. *ab talibus* I. 53. *ab portis* etc.

Gravior corruptela eodem libro inhaeret c. 7. Rationem numeri a se initi caesorum in pugna ad lacum Thrasimenum persequitur auctor:

Multiplex caedes utrimque facta traditur ab aliis. Ego praeterquam quod nihil HAUSTUM *ex vano velim, quo nimis inclinant scribentium animi, Fabium aequalem temporibus huiusce belli potissimum auctorem habui.*

De loquendi ratione *haurire ex vano* nemo dubitabit, qui similium meminerit v. c. *e parvo.* De hoc ambigere quosdam videmus, quid sit *ex vano*, cum nuper coniectum sit *ex vario.* Propriam vocis vim a cognatae significationis verbis discernit DONATUS ad Ter. Eun. I, 2, 24. *Falsum est, quo tegitur id quod factum est; vanum, quod fieri non potest; fictum quod non est factum, et fieri potuit. Vel: Falsum est fictum mendacium simile veritati; vanum nec possibile, nec verisimile; fictum totum sine vero, sed verisimile. Falsum*

loqui mendacis est; fictum callidi; vanum stulti. Falsum loqui culpae est; fictum virtutis; vanum vecordiae. Falsis decipimur; fictis delectamur; vana contemnimus. Quem locum acumine insignem, si bene novimus hominem, P. Nigidio Figulo tribuimus. Convenit huic expositioni, qua gravius multo „vano" significari quam „falso" apparet, Livii usus, si quis conferre velit XXXVII, 48. *Rumoris quia neminem auctorem habeo, neque affirmata res sit, nec pro vana praetermissa.* XXIV, 27. XXXI, 49. Porro *ex vano haustum velim* nota periphrasi dictum saepius obvia (v. c. apud Terent. Phorm. II, 3, 35.

Egone tuam expetam amicitiam aut te visum
aut auditum velim?

Liv. XXV, 15. *Magis quia ipsi consultum volebant.* XLV, 37. *Quid obiecit interim quod. Paullus si caussam dicat negatum velit.* XXVIII, 20. XXVII, 12. XXI, 53.); quomodo differat a *haurire (hauriri a me) velim,* verbo significavimus ad II, 24. p. 50.

At si hic loci sensus, quomodo, quae nunc leguntur, scribere Livius potuerit, vero videtur considerandum. Ne urgeam nunc, quod scribentium animi ipsi dicantur nimis fere proni ad „hauriendum ex vano", qua prudenti an imprudenti affirmatione viderit quomodo historicorum animos sibi reconciliet: constans saltem ac sibi similis sit; ne admiscuerit ὀξυμώρῳ, quod absonum

a re

a re ipsum non suspectum sed ineptum reddat. Atqui tale quid latere videbitur, orationis ornatu „tamquam veste detracta". „Se, ait, fide di„gnum scriptorem secutum, praeterquam quod ni„hil ex vano sumptum s. haustum velit". Hoccine ineptum, ridiculum? similiter ac si dicas: „In cognoscenda historia Rom. fidum habui du„cem Livium, praeterquam quod eam libenter in„telligere velim"? Nam si adeo diffideret intelligentiae lectorum, ut consilii rationem addere operae pretium duceret, quo pacto absonum potuit illud inferre PRAETERQUAM?

Iterum nos convertit illud *ὀξύμωρον*, idque quo saepius consideramus, magis a veterum et Livii cogitandi ratione alienum videtur. Fuerunt omni tempore eruntque historici, qui mendacia dicant. Verum ut his non simpliciter tribuas consilium mentiendi, (nisi forte quis *ἱστορίαν ἀληθινήν* scribere sibi proposuerit,) at mentiendi adulationis, invidiae, odii causa; ita illud opprobrium *hauriendi ex vano* frustra quaeras apud veteres, licet saepius appellent historicos mendacissimos homines. Aliud est vitium, et a Livio et ab aliis saepe historicis exprobratum, exaggerandi narrationes miraculi causa, nimioque *θαυματοποιΐας* studio. Vnde v. c. POLYBIUS impedimentum repetit naturam longinquarum regionum cognoscendi. Quo item respiciens TACITUS Ann. XI, 27. Messalinae nuptias exponens, „*Se nihil*, ait, *com-*

positum miraculi caussa, verum audita conscriptaque senioribus tradere, levitatem aliorum leniter perstringens. Eundem augendi morem tangens Liv. X, 30, 4. *Magna*, inquit, *eius diei fama est etiam vero stanti, sed superiecere quidam augendo fidem.* Similiter V, 21. Nullum autem crebrius eo vitio carpsit quam VALERIUM ANTIATEM. Lib. XXXIII, 10, 7. *Caesa eo die octo hostium millia. — Si Valerio quis credat omnium rerum immodice numerum augenti, quadraginta millia hostium sunt caesa.* XXXVIII, 23, 8. *Valerius Antias, qui immodicus in numero augendo esse solet, non plus decem millia.* XXXVI, 38, 7. *Vt in numero scriptori parum fidei sit, (quia in augendo eo non alius intemperantior est,) magnam victoriam fuisse apparet* etc. Etiam COELIUM XXIX, 25, 3. *Coelius ut abstinet numero, ita ad immensam multitudinis speciem auget.* Iam ex his locis facile apparebit, quid et suadeat et postulet*) sententia. Scribendum:

---

*) Praevideo fore, qui calumniae nos accusent, quod *ex vano haustum* simpliciter accepimus pro falso, non ad sensum vocem retulimus, explicantes *ex vane aucto haustum.* Quibus statim occurram, ne se decipi patiantur re, quae mihi quoque nebulam aliquando offudit. Nam fac scripsisse Livium: „Ego praeterquam quod nihil *ex vane aucto haustum* „velim, quo nimis inclinant scribentium animi, fide dignissi- „mum auctorem habui Fabium"; eandem habes difficultatem in *praeterquam.* „Praeterquam (dicit) quod non velim ali-

Multiplex caedes utrimque facta traditur ab aliis. Ego, praeterquam quod nihil AVCTVM *ex vano velim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi, Fabium aequalem temporibus huiusce belli potissimum auctorem habui.*

Sensum ita explicamus: „Ego praeterquam quod „abhorreo ab isto more vane augendi res, quo ni„mis fere propensi sunt scriptores, etiam fide di„gnum habui auctorem, quippe aequalem tempo„ris illius". *Ex vano* cum verbo coniungi posse ex similibus patet *ex improviso, ex praeparato, ex composito, ex facili,* quae finxit Latinorum lingua ad Graecorum consuetudinem v. c. ἐκ τοῦ εὐθέος (Thuc. I, 34.), ἀπὸ τοῦ προφανοῦς (Thuc. III, 82.) Pro adiectivo utitur XXXIII, 31. *Nec criminatio tota ex vano erat.* XXVII, 26. *Nec spem metumque ex vano habere.* Verba HAUSTUS et AUCTUS centies confundi propter adspirationem licenter nunc additam, nunc omissam, notat MARKLAND. Ep. cr. p. 7. et docet DRAKENB. ad II, 43. Sic OVIDIO Tr. I, 10, 16. restituit *auxerat* pro *hauserat* N. HEINSIUS.

„quid scriptum esse ex vane aucto, habui auctorem fide di„gnum"; at hoc idem est ac si dicas „praeterquam quod non „sequi velim vane augentem secutus sum fide dignum". Referri autem *haustum* ad subiectum quod habet adiunctum verbum, si quis nesciat morem Latinorum, cognoscat ex locis quae attulimus.

CAPUT NONUM.

Livii loca plura manca demonstrantur. An Livius dixerit: Fides et iusiurandum regit civitatem proxime poenarum et legum metum. Elegans comparativi usus. Livianum ad id quod. Ruhnkenii emendatio laudata. Narratio certaminis ante pugnam ad Trebiam illustrata. Navale an pro navalibus dictum sit. Iacobsii emendatio laudata. Exempla mutilationum apud alios scriptores. Priscianus e Cod. suppletus. Varronis liber de antiquitate literarum. Curtius semel, Cicero bis emendatus. Eloquentiae effector Deus.

Saepius mirati sumus, quid esset, quod, qui criticae veterum scriptorum operam navarent, unum illud correctionis genus amplecterentur, quod literarum vestigiis leniter immutatis constat. Ac negari non potest, hoc tutissimum longe praestare ceteris omnibus, si modo eo legibus, quibus obtemperat critice, omnino satis fiat. At frustra sit qui omnia in eo posita esse existimet. Nam cum innumerabiles fuerint errandi viae, quibus corruptelae illatae sunt scriptoribus, his tollendis primum optimo, dein facillimo modo occupari de-

bet critica; et primum quaerendum est, quid scribere debuerit auctor, quidque exigat sensus, dein quomodo, quod requiritur, restituatur. Quare nolim porro se exerceant vv. dd. locorum correctionibus ad istum modum, ubi manifestae sunt lacunae. Quas si e proximis verbis suppleri licet ita, ut omissionis causa appareat, id sane in lucro ponendum est; sin minus, at saltem, quod sensui consulat et consuetudini scriptoris, illi praeferatur, quod praeter facilitatem nihil habet, quo magnopere commendetur. Haec praemonenda esse duximus de corrigendi ratione, in qua securum esse licet de verbis restituendis, si modo non infelix fueris in mente scriptoris divinanda.

De Numae institutis, quae homines religione imbuerent, loquitur Lib. I, 21. *Ad haec consultanda procurandaque multitudine omni a vi et armis conversa, et animi aliquid agendo occupati erant, et Deorum assidua insidens cura, quum interesse rebus humanis coeleste Numen videretur, ea pietate pectora imbuerat, ut fides ac ius iurandum, proximo legum ac poenarum metu, civitatem regerent.* Nulla emendatione, quarum plures propositae sunt a vv. dd., ita credo restitui posse verba, ut sana efficiatur sententia. Minime omnium MURETI coniectura *proxime legum ac poenarum metum*, cui leviter patrocinatur constructio τοῦ *proxime* cum accusativo. Nam si hoc

dixit, „fidem ac iusiurandum rexisse, civitatem, „sed proxime tamen ad legum et poenarum me„tum", cui omnia repugnant et antecedentia et sequentia; quidni *proximo* pro ablativo accipiatur absoluto, intellecto participio verbi substantivi? quae constructio Livio iam ad modum familiaris. Magis prospexit sensui G. Wakefieldus Sylv. cr. V. p. 129. coniiciens *procul a legum*; et partim Gronovius P. An scripsit? *Ut fides ac iusiurandum validius proximo legum ac poenarum metu civitatem regerent.* Proximum metum intelligimus metum legum ac poenarum sub Romulo, sine quo tanta multitudo (c. 8.) in unius populi corpus coalescere non posse videbatur.

Eadem ratio videtur Lib. IV, 35. Ludorum celebritatem narrat et apparatu magistratuum, et finitimorum accursu: *Spectaculum comitate etiam hospitum, ad quod publico consensu venerant, advenis gratius fuit.* Neque quo referatur comparativus *gratior* satis in his verbis patet, (nam „paullo gratius" nemo explicuerit;) neque unde tanta venerit in Codd. varietas. Nam alii *et quod*, alii *ad quam*, alii alio modo scriptum praeferunt. Vix audaci coniecturae indulsisset Gronovius P. *Spectaculum comitate etiam hospitum, in quam publice consenserant, adv. gr. f.*; si meminisset Liviani *ad id quod*, de quo Duk. ad XLIV, 37. Quid multa? Scribendum pu-

to: *Spectaculum comitate etiam hospitum, ad* ID *quod publico consensu venerant, advenis gratius fuit.* Scita haec brevitas pro: „praeterquam quod „gratum advenis erat spectaculum publica invitatio„ne, gratius etiam fuit comitate hospitum". XXVI, 45. 8. *Medium ferme diei erat: et ad id quod sua sponte trahebatur aqua, acer etiam Septentrio ortus stagnum eodem quo ventus ferebat.* III, 62. *Ad id quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur.* XXVII, 20. *Marcellus etiam adverso rumore esse, supra quam quod primo male pugnaverat* etc.

Eodem libro c. 44. narrat accusationem Postumiae: *Postumia, virgo Vestalis, de incestu causam dixit, crimine* INNOXIA: OB *suspicionem propter cultum amoeniorem ingeniumque liberius, quam virginem decet parum abhorrens famam. Ampliatam, deinde absolutam, pro collegii sententia pontifex maximus abstinere iocis, colique sancte potius quam scite iussit.* Scriptum nuper est h. l., ut in manifesta corruptela, de GRONOVII P. coniectura *ab suspicione propter cultum amoeniorem — quam virginem deceret, parum abhorrens. Eam ampliatam* etc. Atqui monuerat iam DRAKENBORCHIUS de illo *ab suspicione propter;* et ambigua admodum est cod. Florentini lectio *eam* pro *famam*, cui innititur illa correctio. Palmam facile feret egregia emendatio DAV. RUHNKENII

ad Rut. Lup. p. 119. *Postumia, virgo Vestalis, de incestu causam dixit, crimine* INNOXIA, OBNOXIA *suspicioni propter cultum amoeniorem, ingeniumque liberius, parum abhorrens famam.* Activam vim v. *abhorrere* pro *refugere*, nollem probasset Gronovius Liv. XL, 57. ubi passiva sumitur, et corruptum est *aequales.* Alia aptiora exempla suppeditant etiam subsidia vulgaria.

Pari emendandi ratione iuvari posse videtur sensus loci XXI, 52. Narrat certamen ante pugnam ad Trebiam commissum inter Romanos et Carthaginienses. *Ingentem terrorem caedemque ac fugam* (Romani) *usque ad castra stationesque hostium fecere; unde multitudine effusa pulsi, rursus subsidio suorum proelium restituere. Varia inde pugna sequente, quamquam ad extremum aequassent certamen, maior tamen hostium Romanis fama victoriae fuit.* Nihil attinet referre, quid afferant nonnulli ad explicandum locum; quae etiam a vulgari grammatica abhorrent. Gravior est eorum, qui emendant, dissensio. Coniecit Gronovius P.: *maior tamen iustiorque Romanae fama victoriae fuit.* Faber: *maior tamen quam hostibus.* Vossius: *quam hostium.* At ita, cur ad Romanos verterit pugnae fama, aequato utrimque certamine, non perspicitur. Burmannus maluit: *maior tamen hostium* CAEDES, *Romanis fama v. fuit.* Provocat ad Polyb. III, 69.:

Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι ἀνέλυσαν ὀλίγους μὲν αὐτῶν ἀποβαλόντες, πλείους δὲ τῶν Καρχηδονίων διεφθαρκότες. Vellem accuratius inspexisset Polybii locum. Ex hoc enim cum appareat, varia pugna etsi neuter multum profecisset, modo Carthaginiensibus repulsis modo Romanis, tamen, quod repulsi essent extremi Carthaginienses retentique a duce suo a proelio renovando, famam victoriae vertisse in Romanos; huius igitur loci admonitione ita Livii locum legere solemus: *Varia inde pugna sequente, quamquam ad extremum aequassent certamen, maior tamen hostium* FUGA *Romanis fama victoriae fuit.* Ablativi is usus Livio valde est adamatus. XXXI, 49. *Huius generis oratt. victa est praesentis gratiâ praetoris absentis consulis maiestas.*

Mortem Scipionum in Hispania refert Lib. XXV, 34. Ibi editur: *Agmina magis quam acies pugnabant; superior tamen.. Romanus erat. Ceterum* ET *equites Numidae, quos fefellisse se dux ratus erat, ab lateribus circumfusi magnum terrorem intulere; contracto adversus Numidas certamine, tertius insuper advenit hostis, duces Poeni adsecuti.. pugnantes; ancepsque proelium Romanos circumsteterat* etc. An etiam h. l. inter *ἀνακόλουθα* referamus de quibus cap. seq. dictum est? Erunt fortasse, qui suadeant. Sed adeo est familiaris Livio coniungendi ratio *et — et — que*; ut

putem excidisse (ut c. 1. huius libri) copulam. Requirimus: *Ceterum* ET *equites Numidae — magnum terrorem intulere,* ET *contracto* etc.

De exercitio copiarum terrestrium maritimarumque a P. Scipione Carthagine Nova instituto loquitur XXVI, 51. *Dux cuncta pari cura obibat: nunc in classe ac* NAVALI *erat, nunc cum legionibus decurrebat.* Quae Graecis *νεώρια, ἐπίνειον, ναύσταθμος,* ea Latinis dicuntur *navalia,* prosaicis quidem scriptoribus, non *navale;* quod in Lexica relatum caute velim accipiatur, quippe huius loci fiducia, corruptelae suspicioni obnoxii etiam ob alia argumenta. Finge de loco ubi naves fiunt accipi vocem, omnemque descriptionis ordinem fateberis illâ interruptam. Narratur ut paucos, quos Carthagine morari statuerat, dux absumpserit dies. „Primo die legiones in armis „decurrisse; secundo arma curare ante tentoria „iussos; tertio in modum iustae pugnae concur- „risse". Porro „remigium classicosque milites „tranquillo in altum evectos, agilitatem navium „simulacris navalis pugnae expertos; urbem ip- „sam strepuisse apparatu belli" etc. Iam fac Livio scriptum esse navalibus, erit: *Dux cuncta pari cura obibat; nunc in classe ac* NAVALIBUS *erat, nunc cum legionibus decurrebat; nunc operibus adspiciendis tempus dabat, quaeque in officinis quaeque in armamentario ac* NAVALIBUS *fa-*

brorum multitudo in singulos dies certamine ingenti faciebat. Igitur ante in classi ac „navalibus" erat, et nunc in armamentario et „navalibus"? Nemo credat. At neque altera verbi significatio „locus, ubi stant vel subducuntur naves", descriptionis ordinem iuvat. Nam qui omnia pari cura obiisse dicitur, eum, cum milites in altum evecti agilitatem experirentur simulacris navalis pugnae, munus suum deseruisse putabimus? Nihil certius nobis videtur, quam excidisse verbum post *navali*, aciem, pugnam notans: verisimiliter *certamine*, quod qui ductus callent codd., facile e sequentis vocis elementis *eratnunc* eruent. Recurrens verbum paucis interiectis ne quis obiiciat, sciat hoc magis Livianam videri orationem.

Ad bellum contra Philippum suscipiendum adhortans Consul, ne nimis contemnendum hostem illum ducant monet Romanos XXXI, 7. *Ne aequaveritis Hannibali Philippum, ne Carthaginiensibus Macedonas; Pyrrho certe aequabitis; dico, quantum vel vir viro, vel gens genti praestet.* Varia coniecerunt vv. dd. Nihil verius est egregia cl. Iacobsii emendatione *): *Pyrrho certe aequabitis. Aequabitis dico? Quantum vel vir viro, vel gens genti praestat.*

Plura sunt alia loca, quae similem negligentiam librariorum prodant. Lib. XXXIII, 14. *His*

*) Prodita est in Animadvers. ad Athenaeum.

additi Boeoti Thessalique et Acarnanes mille, scutati omnes, et ex ipsorum Corinthiorum iuventute, impleta ut essent sex millia armatorum. Plura exciderunt quam suspicatus est GRONOVIUS P. addens *ex*: etiam numerus excidit Corinthiorum. Quippe calculos si subducis, summa omnium non efficitur sex millium, sed millium quinque tantum et trecentorum. Scribe: *et dcc ex ipsorum* i. e. *septingenti.* Scio scriptores interdum sic loqui, ut talia intelligantur, v. g. si scripsisset „et ex „ipsorum Cor. quantum satis esset ad implenda „sex millia". Diversa est h. l. ratio. Ita numerus navium excidit XLII, 47. v. DUK. et hoc ipso libro c. 14. numerus armaturae levis.

Manifesta est corruptela ex hoc genere XLIII, 16. *Rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur. Quae publica vectigaliA vLtro tributa C. Claudius et Tib. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset.* Scribe: *publica vectigalia AVT ultro tributa.* Quae antea disiunctivâ prolata disiunctim ut dicerentur flagitabat rei ratio, ea nunc ἀσυνδέτως copulari quis patiatur?

Alia his addamus aliquot aliorum scriptorum loca. Insigne est exemplum PRISCIANI Lib. I. p. 546. Putsch. *Accidit igitur literae nomen, potestas, figura. Nomen veluti a. b. c. Et sunt indeclinabilia elementorum nomina tam apud Graecos, quam apud Latinos: sive quod a barbaris in-*

venta dicuntur, (quod et ostendit V*ARRO in secundo de antiquitate literarum docens lingua Chaldaeorum singularum nomina literarum ad earum formas esse factas; et ex his certum fieri eos esse primos auctores litterarum:) sive quod simplicia haec et stabilia esse debent* etc. VARRONIS locum, quo omnes carent Prisciani editiones, addit MS. Gruterianum nunc Lugduno-Batavum, quod habuit quidem PUTSCHIUS, sed quo (propter scripturae difficultatem) negligentissime usus est *). Liber VARRONIS qui memoratur, cuius alibi non est mentio, an forte pars operis de vita P. R.? E POMPEII GRAMMATICI Commentar. in utramque Donati artem habet HEUSINGERUS in Vett. Script. Apospasmat. p. 64. *Legimus apud maiores nostros primas apud Romanos undecim literas fuisse tantummodo, ut dicit Caesar libro analogiarum primo. Varro docet in libris, quos ad Actium scripsit, sedecim fuisse, postea tamen crevisse et factas esse viginti tres. Tamen primae, quae inventae sunt, fuerunt sedecim. Postea item viginti tres factae sunt. Illic commemorat, qui illam literam fecit, qui illam.* Ad quem loc. DAV. RUHNKENIUS. „F. scribendum *ad Atticum*, ut in„telligantur libri de Vita P. R. quos ad Atticum „scriptos testatur Sosip. Charis. Inst. Gram. I. „p. 101".

*) Locum iam protulit BONDAM Var. Lect. II, 13. p. 296. sed adeo corrupte, ut emendatius eum posuisse minime poeniteat.

Similis est Curtii locus III, 8, 3. Cum Graeci milites Dario suaderent ut retro abiret, et Mesopotamiae campos repeteret; saltem ut divideret copias, neu sub unum ictum fortunae totas regni vires cadere pateretur; minus hoc consilium regi quam purpuratis displicebat: „*Ancipitem fidem et mercede venalem proditionem im-*„*minere; et dividi non ob aliud copias velle, quam* „*ut ipsi in diversa digressi, traderent (se) Alexan-*„*dro*". Etiam huic loco restituendo proderit Livianae orationis cognitio: ut neque inficeto Modii commento egeamus (de quo recte Acidalius οὐχὶ καθ' ἡμέτερόνγε νόον), neque ipsius Acidalii coniectura h. l. haud feliciorem criticen experti. Scribe: *ancipitem fidem et mercede venalem* IN *proditionem imminere.* H. e. „Homines ambiguae „fidei, quippe mercede venales, occasionem pro-„ditionis quaerere". Livius XXXIII, 11, 7. *Donis regiis imminere credebant invicti ab ea cupiditate animi virum.* VI, 15, 9. *Ceterum animus ducis rei maiori Antio imminebat.* Curt. V, 11, 12. *Ipse currum regis sequebatur occasioni imminens alloquendi eum.* Et illud ipsum *in proditionem imminere* Liv. XXIII. De *et* explicativo diximus supra cap. III. p. 66.

Duo his addamus loca Ciceronis etiam haec ex eodem fonte corrupta. Vim oratoris paucis complectens de Orat. III, 27. dicit: *De virtute*

enim, de Officio, de aequo et bono, de dignitate, utilitate, honore, ignominia, praemio, poena similibusque de rebus in utramque partem d i c e n d i *animos et vim et artem habere debemus.* Nondum vidi qui explicare hoc tentaret; et excidisse aliquid manifestum est. Reposuit novissimus editor, non uno nomine de his libris praeclare meritus, *dicendo alliciendi.* At de ignominia dicendo animos non allicit orator. Ne de honore quidem dicentis primaria virtus est voluptas audientis. Nam „docere debitum, delectare hono„rarium, flectere et movere animos victoriae est", in quo regnat omnis oratoris vis. Hoc requirimus. Quid igitur scribendum sit, quod verisimiliter exciderit, quaeris? Lege: *De virtute... similibusque de rebus in utramque partem* d i c e n d o DVCENDI *animos et vim et artem habere debemus.* Quo verbo et alibi utitur Cicero pro *flectere.*

Alter locus Ciceronis de Orat. I, 46. est. Ibi praestantiam eloquentiae explicans Crassus, cuius ut nunc ita tunc multi existimabantur antistites, qui rectius appellati essent θυρωροί: *Non enim causidicum,* inquit, *nescio quem, neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone conquirimus, sed eum virum, qui primum sit eius artis antistes, cuius quum ipsa natura magnam homini facultatem daret,* t a m e n e s s e d e u s *putatur, ut et ipsum,*

quod erat hominis proprium non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur. Apparet excidisse substantivum in verbis *tamen esse deus putatur* v. c. auctor. Sed quaerimus iterum quid excidisse probabile sit. Vix aliud, cum sequatur *effede*, quam: *effector*. Lege: *Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone conquirimus, sed eum virum, qui primum sit eius artis antistes, cuius quum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen effector esse deus putatur ut et ipsum, quod erat hominis proprium non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur. Effectorem* eo cape sensu quo Cic. de Div. 2, 55. de Vniv. 14. *Deus huius mundi effector.*

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

Livii loca plura explicata, vindicata. Dissensio Polybii notatur. Supinum in t u m *passiva significatione qua ratione. Dukerus interdum nimis diligens in Latinitate. Cogere ad defectionem recte dicitur. Adsuetus in aliquid.* C u m *in re subita. De* d u m *praesenti iuncto. Anacoluthorum ratio apud Livium. Memorabilia exempla quaedam e Cicerone, Homero. Lucianus vindicatus. Indicativus modus in oratione obliqua, male mutatus.* T u m *insolentius retractum.* V e t u s, a n t i q u u s, *similia ad sensum referenda.* T u t o *procedere quid sit.*

Iuvat, antequam reliqua persequamur, quae faciant ad emendationem Livii, huic libro destinata, interruptam c. 4. telam denuo exordiri, atque redire ad ea loca, ubi, non quidem in corrigendis scripturae vitiis, at corrigendis tamen cavendisque interpretum erroribus, vel nuper vel antiquitus commissis, versari debeat critici opera. Horum locorum etsi tantus numerus est, ut paene iusti in iis sit commentarii materia, utque multo difficilius sit eligere materiam, quam ele-

ctam verbis exprimere, tamen, ut illo, ita hoc loco eam nobis diximus legem, ut in iis subsistamus locis, quae ad proprietates scriptoris cognoscendas aliquam vim habere videantur. In his autem si quaedam leviora videbuntur, id velim nobis ne vitio vertatur, quibus id ubique spectandum videbatur, ut ne levia quidem parum accurate tradendi locus ullus relinqueretur.

Profectionem narrat Hannibalis per paludes Hetruriae XXII, 2. *Quum omnia obtinentibus aquis, nihil ubi in sicco fessa sternerent corpora inveniri posset, cumulatis in aquas sarcinis insuper incumbebant: iumentorum itinere toto prostratorum passim acervi tantum quod exstaret aqua quaerentibus ad quietem parvi temporis necessarium cubile dabant.* Notavit ad h. l. Dukerus: „Non bene fluit oratio. Ante *iumentorum* deesse „videtur *vel.* Alii incumbebant sarcinis in aquas „cumulatis, alii acervis iumentorum. De voca„bulis *tantum quod* vide Gronov. ad XXXIII, 4." Mirere v. d. non suasisse *aut*, vel *aliis* quod saepe fraudi fuit librariis semel positum, ubi bis intelligendum est, veluti II, 59. Neutra emendatione opus videbitur ei, qui ad Livii duritiem in coniunctione periodorum adverterit. Nam sensus fulcro non indiget. „Milites (sive pars mili„tum) sarcinis cumulatis in aquas insuper in„cumbebant; qui quaererent tantum quod exsta-

„ret aqua, iis iumenta brevis temporis necessa-„rium cubile dabant". Ceterum notabilis in hac re dissensio est POLYBII III, 79. *Τῶν δὲ ὑποζυγίων αὐτοῦ τὰ πλεῖϛα, πίπτοντα διὰ τοὺς πηλούς, ἀπώλλυντο μίαν παρεχόμενα χρείαν ἐν τῷ πεσεῖν τοῖς ἀνθρώποις· καθεζόμενοι γὰρ ἐπ' αὐτῶν καὶ τῶν σκευῶν σωρηδόν, ὑπὲρ τὸ ὑγρὸν ὑπερεῖχον.*

Eodem libro c. 32. legatio Neapolitana auditur in senatu: *Quum iuxta pro urbibus agrisque sociorum ac pro capite atque arce Italiae* (bellum) *geratur, aequum censuisse Neapolitanos, quod auri sibi .. relictum foret, eo iuvare Pop. Romanum. Si quam opem in sese crederent, eodem studio fuisse oblaturos.* Non scribendum cum DUKERO *quam aliam*; quod requireret „penes se, „apud se". Sufficit *quam.* Intellige: *in semet ipsis.* Quod paullo post Romanorum amicus Hiero c. 37. dicit: „Milite atque equite scire, nisi „Romano Latinique nominis, non uti Pop. Rom., „levium armorum auxilia etiam externa vidisse „in castris Romanis"; id ambiguae fidei hominibus idoneam praebuisse causam existimabimus auxilio *in semet ipsis* posito se subducendi.

Eodem libro c. 38. legitur. *Milites tunc, quod numquam antea factum erat iureiurando ab tribunis militum adacti iussu consulum conventuros, neque iniussu abituros. Nam ad eam diem nihil praeter sacramentum fuerat; et ubi* AD *decuria-*

tum aut centuriatum convenissent, sua voluntate.. coniurabant. Recte Dukerus: „Ex hoc loco „lexica vulgata tradunt, „decuriatus" et „centuria-„tus" esse substantiva, pro „praefectura decuriae et „centuriae". Sed quid hoc est „convenire ad prae-„fecturam decuriae et centuriae"? Nihil quidem „varietatis ex libris scriptis hic adnotari video; „sed tamen credo delendum esse *ad.* Lipsius cer-„te et Schelius ll. dd. sublata praepositione ci-„tant: *Vbi decuriatum aut centuriatum convenis-„sent* i. e. ut decuriarentur equites aut centuria-„rentur pedites". Nihilo melius alii (v. c. Forcellinus) *decuriatus* pro actu decuriandi accipiunt. Neque huic est ullum ab analogia praesidium. Recte Lipsius. At non agnoscunt, inquiunt, grammatici *). Scilicet isti nuper exorti, quorum non magna est auctoritas. Aliter veteres v. c. Priscianus VIII. p. 810. *Gerundia* (supina), inquit, *tam ab activis quam a communibus nascentia tam activam quam passivam habent significationem.* Vossius Ar. II, 65. „Nam „plurimum quidem illa in *Vm* (si *vapulatum* si-„miliaque exceperimus, quae in praesente ipso „passionem notent) active exponuntur: attamen,

*) „Si hanc rationem admiseris" (sc. Döringii interpretantis: *ubi convenissent* sc. tribuni militum, ut decuriarent cet.) „obscure nec satis accurate, si illam (Dukeri), haud „latine loquutus est Livius". Edit. Götting.

„ut Saturnius quoque observavit, id perpetuum „non est". Apud quem v. loca Martialis, Catonis, etiam Pompeii. De gerundiis (proprie sic dictis) idem notat VOSSIUS, et CORTIUS ad Sall. Iug. 62. RUHNKEN. ad Vell. Pat. II, 15, p. 115. neque rationem requiret eius rei, qui meminerit, quae egregie VOSSIUS in Aristarcho aliquo loco: „omne substantivum, quod actionem notet, cogita- „tione tantummodo discerni, utrum activum sit an „passivum".

Libro *vigesimo tertio* c. 1. legitur: *Ibi praeda omni atque impedimentis relictis, exercitu partito Magonem regionis eius urbes aut deficientes ab Romanis accipere, aut detrectantes cogere ad defectionem iubet. Cogere ad defectionem* Latine non dici persuasit DUKERUS recentioribus editoribus, quoniam defectio voluntaria sit, ad quam nemo cogatur. Quare *deditionem* coniecit. Non meminerat ad *defectionem trahere* legi XXV, 16. illudque ipsum *cogere ad defectionem* XXXIV, 18. ubi non adhaesit. Sed hunc virum, de Livio optime meritum, interdum nimis diligentem reperimus in Latinitate exigenda. Veluti XLV, 2. *Ibi* (in senatu) *tantum temporis retenti* (legati) *dum exponerent.. eadem haec paullo post in concionem* TRADUCTI *exposuerunt.* Sane proprium fuit *producti.* At hoc ipsum latet in exquisitiore *traducti* i. e. *traducti* et *producti;* non est simpliciter *producti*, quod putabat ERNESTIUS Gl. Liv.;

neque ullum est simile eorum, quae affert DUKERUS exempla. Similis dubitatio eiusdem viri est XLV, 34. *Quatere alii pila, alii micare gladiis mucronemque* INTUERI. Legitimum, quo uteretur, erat (quod coniecit DUKERUS) *tentare.* At idem exquisitius est *intueri.* Fragm. Liv. lib. XCI. p. 28. Giovenaz. *Arma ut fierent.. edixerat, quibus inspectis referre cetera arma milites iussit. Sueton.* Tit. 9. *Insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit.* Simiter POLYB. Hist. X, 20. *κατασκοπεῖν ἐν τῷ φανερῷ τὰς πανοπλίας.*

De senatu explendo agitur eodem libro c. 22. *Quum de ea re Manius Pomponius Praetor.. exposcentibus cunctis retulisset; tum Sp. Carvilius, quum longa oratione non solum inopiam, sed paucitatem etiam civium, ex quibus in Patres legerentur, conquestus esset* etc. Si *inopia* idem fere est quod *paucitas* i. e. si utraque vox ad numerum referri debet, plane assentior DUKERO, DRAKENBORCHIO ceterisque verba traiicientibus. Sed quid est, quod ad id cogat? *Inopiam* accipimus de egestate exhaustorum diutino bello, e quibus pauci nunc essent, qui haberent censum senatorium. Quare abeat, quod nuper est e codd. vilis pretii receptum, *inopiam senatus sed* etc. Ita utitur voce XXV, 28. et notat diversas eius si-

gnificationes (alteram vulgarem, alteram exquisitiorem) in locutione *inopia locorum* D. Ruhnkenius ad Vell. II, 54. p. 258. De censu senatorio v. Lipsius Elector. II, 17.

Res gestas in Sicilia mortuo Hierone, postquam Hieronymus susceperat imperium, refert XXIV, 5. *Andranodorus et Zoippus, generi Hieronis, et Thraso quidam de aliis quidem rebus haud magnopere audiebantur: tendendo autem duo ad Carthaginienses, Thraso ad societatem Rom. certamine ac studiis interdum in se converterant animum adolescentis;* QUUM *coniuratio facta indicatur per* CALONEM *quendam aequalem Hieronymi, et iam inde a puero in omnia familiaria iura* ADSUETUM. Post felicem Coetierii correctionem *Gelonem* substituentis *caloni* — cuius loco tamen propius ad vestigia scripturae erit *Callonem* cum v. d. — aliud relictum fuit vitium in *adsuetum.* Correxit D. Ruhnkenius ad Vell. II, 29. p. 171. ADSVMPTVM eleganti coniectura, a qua non abstraxerant eum Forcellini loca h. v. Sallust. Fragm. apud Prisc. VI. p. 707. Putsch. *Male adsuetus ad omnes vis controversiarum.* Senecae Troad. v. 152. *Manus adsueta ad sceptra post terga dabit.* Nos ut exquisitius praeferebamus (cum Bauero) *Et iam a puero in omnia familiaria iura* ADSCITVM. Festus: *Adsciscere* est *adsumere.* Tacit. Hist. I, 25. *In conscientiam facinoris pauci ad-*

sciti. Liv. VI, 40. *Nos ex quo adsciti sumus simul in civitatem et Patres.* v. DRAK. ad VI, 40. Ceterum non offendam in illo *quum coniuratio facta* praeferamque cum VOSSIO priorem GRONOVII correctionem *animum adolescentis. Tum coniuratio facta* etc. Amat LIVIUS etiam in periodis longioris ambitus in re subita *cum* temporale praesenti historico iunctum. XXV, 37. *Neque sedari lamentatio poterat, excitantibus centurionibus manipulares, et ipso mulcente et increpante Marcio, „quid in muliebres et inutiles se proiecissent fle- „tus potius, quam ad tutandos semet ipsos et „Rempb. secum acuerent animos?", et „ne inultos „imperatores suos iacere sinerent!", QUUM subito clamor – exauditur.* Ita distingue locum, qui etiam in DRAKENB. edit. mendose legitur. v. XXIII, 18. TACIT. Hist. I, 29. Sallust. Iug. c. 60. Cort. Imperfecto (quod raro postulat sensus) iunctum habes XLIV, 10. *Iamque ipsi urbi terribilis erat, quum dispositis omnis generis tormentis non vagi modo circa muros... sed etiam qui in navibus erant saxis tormento emicantibus percutiebantur.* Mirabiliter CREVIERIUS legendum monet *percuterentur*, fortasse ne contra quorundam praecepta grammatica peccetur. XXV, 24. *Iam mille armatorum ceperant partem, quum ceterae admotae, pluribusque scalis in murum evadebant.* SALLUST. Iug. c. 50. *Itaque multum die processerat, cum.. etiamtum eventus in incerto erat.* Idem

Fragm. Histor. II. p. 960. *Cum quaestor C. Vrbinus aliique cognita voluntate eum ad coenam invitaverant.*

Eiusdem Vossii V. C. alia est emendatio, ubi dissentimur ab egregio viro, eod. lib. c. 17. *Dum haec ad Beneventum geruntur, Hannibal depopulatus agrum Neapolitanum ad Nolam castra movet.* Corrigit *movit.* Sane hoc certissimum est, *dum,* qua sumitur h. l. significatione, frequentissime iungi tempori praesenti, etiam in re praeterita, ideoque circumseptum videri fere semper temporibus historicis; modo ne quis illud sine exceptione fieri putet, aut, ubi praesenti iunctum est, adiunctum ei praeteritum quaerat. De priore re v. egregie monentem Vossium ad Virg. Georg. IV, 560. Tamen Livius V, 47. *Dum haec Veiis agebantur, interim Capitolium in ingenti periculo fuit,* nulla varietate codd. XXI, 53. *Stimulabat et occasio in se unum vertendae gloriae, dum aeger collega erat.* XXXII, 24. *Et dum in unam partem oculos hostium certamen averterat, pluribus locis capitur urbs.* Tacit. Agr. c. 41. *Quibus sermonibus satis constat Domitiani aures verberatas, dum pessimi.. Principem exstimulabant.* Alterius structurae ubivis sunt exempla; nam praesens historicum saltem seiungi debere ab illa regula, sponte apparet. XXXII, 12. *Et dum extra munitiones pugnant, haud paullo superior est miles.* XXXII, 14. etc.

Revocat hic locus alium nobis in memoriam, ubi in parva re tantopere fluctuare miramur vv. dd. Vbi caedem narrat filiarum Hieronis (XXIV, 26.) legitur: *Ea* (Heraclea) *quum ad se quoque veniri praescisset, in sacrarium ad penates confugit cum duabus filiabus.. resolutis crinibus, miserabilique alio habitu, et ad ea addidit preces* „*NVNC* „*per memoriam Hieronis Gelonisque fratris, ne se* „*innoxiam invidia Hieronymi conflagrare sinerent.* „*Nihil se ex regno illius, praeter exilium viri ha-* „*bere*" etc. Nihil habet quo referatur *nunc*, neque in seqq. neque in antecedentibus; ne quis Graecorum *ἄλλοτε* semel positum cogitet, cuius usus nec Romanis ignotus est. Quid? si tamen vocem non temere delendam censemus? Non dicam nullam originis causam perspici; quae quidem nulla non est ratio. Nam in oratione tot intimi affectus signis praenitente (ut nullus dulciores affectus magis commendavit Livio), si vel consulto vel oblitum sui *ἀνακόλουθον* admisisse putemus scriptorem, sane id excusationem habebit. Sed iterum exemplis agendum est, propter nonnullos, qui, modo huc modo illuc cogitatione fluctuantes, nihil nisi exemplis credunt. Insigne est CICERONIS Br. 14. quod ut editores ita auctorem ipsum fortasse fefellit. *Quis enim putet,* *AUT celeritatem ingenii L. Bruto illi defuisse? qui de matre suavianda.. tam accurate arguteque coniecerit: qui summam prudentiam simulatione stulti-*

tiae texerit: qui potentissimum regem.. expulerit; qui —; qui —; Iam oblitus positi *aut* initio periodi, pergit: *Videmus item paucis annis post reges exactos..., M'. Valerium... dicendo sedavisse discordias.* Magis mirere Homericum Vlyssem Od. τ. 106.

> *ὦ γύναι, οὐκ ἄν τίς σε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν*
> *νεικέοι· ἦ γάρ σευ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει·*
> *ὥςτε τευ Ἢ βασιλῆος ἀμύμονος ὥςτε θεουδὴς*
> *ἄνδρασιν ἐν πολλοῖσιν καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων*
> *εὐδικίας ἀνέχησι· φέρησι δὲ γαῖα μέλαινα*
> *πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθησι δὲ δένδρεα καρπῷ,*
> *τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς,*
> *ἐξ εὐηγεσίης· ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ·*
> *τῷ ἐμὲ νῦν τὰ μὲν ἄλλα μετάλλα σῷ ἐνὶ οἴκῳ.*

Nemo quidem, quod sciam, scribere voluit ἦ. Ad hanc *ἀνακολούθων* rationem si attendisset Tib. Hemsterhusius, non tentasset Luciani Somn. c. 3. *Ἅμα τε οὖν ἐπιτήδειος ἐδόκει ἡμέρα τέχνης ἐνάρχεσθαι, κἀγὼ ΠΑΡΕΔΕΔΟΜΗΝ τῷ θείῳ· — μὰ τὸν Δί' οὐ σφόδρα τῷ πράγματι ἀχθόμενος· ἀλλά μοι καὶ παιδιάν τινα οὐκ ἀτερπῆ ἐδόκει ἔχειν, καὶ πρὸς τοὺς ἡλικιώτας ἐπίδειξιν, εἰ φαινοίμην θεούς τε γλύφων καὶ ἀγαλμάτιά τινα μικρὰ κατασκευάζων ἐμαυτῷ τε κἀκείνοις, οἷς προῃρούμην. Καὶ τόγε πρῶτον ἐκεῖνο καὶ σύνηθες τοῖς ἀρχομένοις ἐγίγνετο κ. τ. λ.* scribendo *κἀγὼ παρεδιδόμην,* quum, recte distincta, nullam plane habeant difficultatem verba.

Pertinet ad idem genus ἀνακολούθων locus eod. libro c. 47. Captos Arpos a Romanis narrat: *Pugnatum primo in tenebris angustisque viis est, quum Romani non vias tantum, sed tecta etiam proxima portae occupassent, ne peti superne ac vulnerari possent. Cogniti inter se quidam Arpini* etc. Ita vulgo distinguitur, neque est, quem offendat illa coniunctio *pugnatum primo in tenebris — est — quum Romani — tecta etiam occupassent.* Melior erit interpunctio et ἀνακόλουθον apertius demonstrans: *Pugnatum primo in tenebris angustisque viis est. Quum Romani non vias tantum sed tecta etiam proxima portae occupassent, ne peti superne.. possent, cogniti inter se quidam Arpinorum* etc. *Deinde* intelligitur ut XLII, 66. XXXIX, 49. X, 15. v. Drak. ad XXII, 43, 3. Contrarium est apud CICERONEM de Or. II, 11. ubi deest *primo,* et tamen sequitur *deinde.* V. quae nuper de his et similibus notavit cl. MATTHIAE in Progr. de Anacoluthis apud Ciceronem, p. 3. Vtriusque rationis exempla exstant etiam apud Graecos, imprimis THUCYDIDEM.

Erunt fortasse qui ad idem ἀνακολούθων genus trahant Lib. XXXIX, 25. Concilio indicto in Thessalia ad audiendas querelas civitatum contra Philippum: *Ibi quum Romani legati disceptatorum loco... Philippus ad audienda crimina tamquam reus consedissent, pro ingenio quisque*

eorum, qui principes legationum erant ET *gratia cum Philippo* AUT *odio acerbius leniusve egerunt.* Sane debebat scribi, vel: AUT *gratia cum Philippo* AUT *odio*, ut in notis versibus:

Ambitio namque dissidens mortalium
Aut gratiae subscribit, aut odio suo.

vel deleto *et: gratia cum Phil. aut odio.* Ita V, 8. *Vt quosque studium privatum aut gratia occupaverat.* Et poterant librarios fallere loca huic similia specie, re plane dissimilia, v. c. XXIII, 3. *Alii nunc probra, nunc humilitatem sordidamque inopiam,* ET *pudendae artis* AUT *questus genus obiicerent* etc. Quid? quod suppressa disiunctiva etiam viros doctos subinde male habuit. TACIT. Ann. XV, 47. *Parari rerum humanarum aliud caput: sed non fore validum neque occultum, quia in utero repressum, aut iter iuxta editum sit.* Nullam video necessitatem, cur membrum *iter iuxta editum sit* verba *neque occultum* solummodo respiciat. Intelligo locum: „Non fo„re validum neque occultum propterea, quod mo„tum iam in utero loco suo (sic recte ERNESTIUS) „lucem viderit; aut etiam, quod iuxta viam editum sit.

Possis eodem referre XXII, 49. Lentulus tribunus m. post pugnam ad Cannas sedentem in saxo cruore oppletum consulem conspiciens, *L. Aemili,* inquit, *cape hunc equum, dum* ET *tibi vi-*

rium aliquid superest. Comes ego te tollere possum, et protegere. Vossius delendum censet *et*. Sane aut imperfecta et per ἀποσιώπησιν accipienda sunt *verba dum* ET *tibi virium aliquid superest....* aut delendum *et*, vel scribendum *superest*, ET *comes*. Prius malim. In his quae respondet Aemilius: *Abi, nuncia... Q. Fabio L. Aemilium praeceptorum eius memorem et vixisse, et* ADHUC *mori:* neque assentimur BAUERO explicanti *adhuc* per *nunc cum maxime*, quod vellem exemplis probasset, neque delemus cum VOSSIO particulam. *Adhuc* est *insuper*. HORAT. I Ep. XII, 15. *Cum tu — nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures.* TACIT. Ann. I, 17. *Si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras* Adde CICERON. de Am. c. 9. PLINIUM XXIII, 2. Varron. de R. R. III, 3. quae habet FORCELLINUS.

Eodem libro (unde digressi sumus) XXIV, 33. legitur. *Romanus orator, „non bellum se Syracusanis sed opem auxiliumque afferre"*. ait; *„et eis qui ex media caede elapsi perfugerint ad „se, et eis.. qui servitutem patiantur. — Itaque „si eis, qui ad se* PERFUGERUNT, *tutus in pa„triam reditus pateret, ac caedis auctores dedan„tur.. nihil armis opus esse"*. Neque h. l. malam effugit sedulitatem recentiorum editorum. Editum nuper est a Strothio probatumque a ceteris *perfugerint*, quoniam lex sermonis obliqui (ut

dicunt) id flagitet. In quo et illum et hos vv. dd. gravis decepit error, pluribus Livii locis noxius, quo legem sibi fingunt, quae nulla est. Nam cum modo subiunctivo Latini utantur, non, ut vulgo docetur, ad rem dubiam significandam, sed omnino ad rem significandam cogitatione alterius comprehensam, sive dubia ea sit sive non dubia; sequitur, in oratione obliqua quae mediae interponuntur enunciationes, a voluntate loquentis (non ab oratione illa) pendere, utrum per indicativum efferantur an coniunctivum i. e. utrum e loquentis an alterius persona dicta cogitentur*). Ac licet proprius sit Latinae linguae his proferendis usus subiunctivi, qui non eodem modo est Graecae, tamen vehementer erraret, qui oratorum morem et aliorum scriptorum ad historicos transferret. Quippe hi, ut in aliis rebus multis recedunt a vulgari modo, ita ab hac re, dum interiiciunt quasi e sua persona dicta, antiquitatis colorem et duritiem orationis affectant. Mirum, de eo non admonuisse tot loca, ubi clare adduntur verba a scriptore, v. c. XXX, 19. *Latum ad populum est, „ne C. Servi„lio fraudi esset, quod patre.. vivo.. tribunus ple„bis atque aedilis fuisset", contra quam sanctum legibus erat.* Neminem fugit, extrema verba rogationi hoc modo ne adiici quidem po-

*) Vide quae nuper in eandem rem disputavit cl. MATTHIAE in Prog. de Anacoluthis p. 6.

tuisse. TACIT. Ann. XIV, 21. *Maiores quoque non abhorruisse spectaculorum oblectamentis; pro fortuna, quae tum erat.* Liv. XXVII, 28. *Se nocte... Salapiam venturum: parati milites essent (qui in praesidio erant) si qua opera opus esset.* XXXVI, 2, 15. XXVII, 22, 12. Sed multo plura sibi indulserunt scriptores. Exempla per classes ordinabimus. LIV. III, 71. *Se rem vetustate obliteratam ceterum suae memoriae infixam afferre. Agrum, de quo ambigitur, finium Coriolanorum fuisse;* ut paullo ante *de quo agitur.* Ita omnes codd. Coniecit tamen DUKERUS *ambigatur*, probante editore Göttingensi. XXIII, 25. *Quod ad Carthaginienses hostes Hannibalemque attinet, prospera modo essent, sicut sperarét, futura, Gallicum bellum differri posse.* Voluit GRONOVIUS P. *attineret*, ut sane XXIII, 48, 5. *Quod ad stipendium attineat, si aerarium inops esset, se aliquam rationem inituros esse* etc. scriptori placuit relativum tempus. At nihil notaverat GRONOVIUS XXVII, 44. *In iis locis hunc coegisse exercitum, quibus ille maiorem partem militum fame ac frigore, quae miserrima mortis genera sunt, amisisset.* Et VIII, 31. *Quid illum facturum fuisse, si, quod belli casus ferunt Marsque communis, adversa pugna evenisset.* XLV, 18. *Neque exerceri* (metalla) *sine publicano posse; et, ubi publicanus est, ibi aut ius publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse.* Similis est locus

XXI,

XXI, 20. *Sed ne illi quidem ipsi satis mitem gentem fore.. ni subinde auro, cuius avidissima gens* **est**, *principum animi concilientur.* Nollem coniecisset Vossius *esset.* Cautius Bauerus *sit*, etsi neque hoc recte. Tacit. An. XIII, 15. *Nero iubere supplicium veneficae, quod, dum rumorem* *respiciunt*, *dum* *parant* *defensiones, securitatem morarentur.* Frigide posuisset coniunctivum hac iunctura. Sall. Iug. c. 54. Cort. *Hortatur ad cetera, quae levia* *sunt*, *parem animum gerant.* Vbi v. Cortium plura, sed sine delectu, exempla coacervantem. Rarior est imperfecti usus in oratione obliqua. Sallust. Iug. 63. *Proinde, quae animo* *agitabat*, *fretus Dis ageret.* Quare perperam apud Livium XLV, 32. *Pronunciatum, quod ad statum Macedoniae* *pertinebat*, *senatores legendos esse,* coniecerunt Crevierius *pertineat*, Dukerus *pertineret.* Omnium saepissime occurrit perfectum ἀόριστον. Liv. IX, 25. *Docent suos exoptantes Samnitium adventum, simul ad Lautulas pugnatum* *audierunt*, *pro victis Romanos habuisse.* Coniecit edit. Göttingensis *audierint.* At nihil notavit ad XXXV, 17. *Nisi crederent Persas, quum aquam terramque a Lacedaemoniis* *petierunt*, *gleba terrae et haustu aquae eguisse.* XXXVII, 60. *Valerius Antias ad IV millia captivorum, quia belli minas* *timuerunt*, *reddita scripsit.* XXXIX, 55. *Improbare Galli, quod eos homines, qui in alieno aedificare oppi-*

dum conati sunt, impunitos dimiserint; etsi h. l. quod scripsit Drak. *sint* codd. fide non improbo. XXIV, 22. *Postquam animadvertit, eos qui liberassent patriam, servare etiam liberatam velle.. non dubitasse.* Coniecit Gronovius *animadverterit;* „quod plane in contextum recipi de„bet", dixit Bauerus. Quam vere, intelligitur. XXXIX, 28. *Pro non dubio paullo ante... legati Eumenis sumebant, quae Antiochi fuerunt, Eumenem aequius esse, quam me habere.* Poterat etiam scribere *fuerint,* ut V, 46. in verbis *Quod magis credere libet non prius profectum ab Ardea, quam comperit legem latam, compererit* cum Bauero. Adde XXII, 27. aliaque plurima. Ceterum cui mira videri potest haec historicorum a vulgari modo discrepantia, cum Graecorum libri quavis paene paginâ exempla offerant? Thucyd. II, 5. *Κήρυκα ἐξέπεμψαν παρὰ τοὺς Θηβαίους λέγοντες, ὅτι οὔτε τὰ πεποιημένα ὁσίως δράσειαν... τάτε ἔξω ἔλεγον αὐτοῖς μὴ ἀδικεῖν, εἰ δὲ μὴ, καὶ αὐτοί, ἔφασαν, αὐτῶν τοὺς ἄνδρας ἀποκτενεῖν, οὓς ἔχουσι ζῶντας.* Possis transferre: „Sin minus, „et ipsos interfecturos illorum, quos habent, vi„vos captos". II, 6. *Ἐς δὲ Πλάταιαν ἔπεμψαν κήρυκα, κελεύοντες... μηδὲν νεώτερον ποιεῖν περὶ τῶν ἀνδρῶν οὓς ἔχουσι Θηβαίων, πρὶν ἄν τι καὶ αὐτοὶ βουλεύσωσι.* I, 90. *Οἱ δ' Ἀθηναῖοι Θεμιστοκλέους γνώμῃ.. ἀποκρινάμενοι ὅτι πέμψουσιν ὡς αὐτοὺς πρέσβεις περὶ ὧν λέγουσιν, εὐθὺς ἀπήλλαξαν.* At

paucis interiectis *Καὶ ὁ μὲν ταῦτα διδάξας, καὶ ὑπειπὼν τὰ ἄλλα ὅτι* (l. *ὅ,τι*) *τάχει πράξοι, ᾤχετο.* I, 91. *Τῶν δὲ ἄλλων ἀφικνουμένων καὶ σαφῶς κατηγορούντων, ὅτι τειχίζεται τε καὶ ἤδη ὕψος λαμβάνει, οὐκ εἶχον ὅπως χρὴ ἀπιστῆσαι.* Quem locum confer cum Taciti loco supra allato. Eo magis mirere etiam haec loca a vv dd. hic illic ad similitudinem Latinae linguae refingi. Plato Apol. p. 22. E. *Ἀπεκρινάμην οὖν.. τῷ χρησμῷ ὅτι μοι λυσιτελεῖ ὥσπερ ἔχω ἔχειν.* Malit v. d. *λυσιτελοῖ.* Charm. p. 157. B. *Καί μοι πάνυ σφόδρα ἐνετέλλετο, μήτε πλούσιον — εἶναι μήτε γενναῖον μήτε καλόν, ὃς ἐμὲ πείσει ἄλλως ποιεῖν.* „Scribere „debui", inquit v. d., „*ὃς ἐμὲ πείσοι*". Atqui non haec solum centies, sed talia etiam occurrunt, ut Thucyd. II, 8. *Ἐν τούτῳ τε κεκωλύσθαι ἐδόκει ἑκάστῳ τὰ πράγματα, ᾧ μή τις αὐτὸς παρέσται.* Adde Platon. Apol. p. 21. B. Lucian. Q. H. C. S. c. 15. ubi quod praebet edit. Flor. *ποιεῖ* pro *ποιοῖ* non videtur spernendum.

Eodem libro c. 31. *Fraudem quoque Hippocrates addit..; et Cretensium quibusdam ad itinera insidenda missis, velut interceptas literas, quas ipse composuerat, recitat;* PRAETORES SYRACUSANI *Cos.* MARCELLO. *Secundum salutem, ut adsolet, scriptum erat. „Recte eum atque ordine fecisse, quod „in Leontinis nulli pepercisset".* Ita *εὐστόχως* emendavit Gronovius P. e Put. cod. vestigiis

Praetores Syracusanos Marcello. Vulgo *Praet. Syracusani Marcello.* Ceterum, ne deinceps quisquam miretur literarum *ἐπιγραφὴν* adscribi, salute omissa, ceterisque summatim tantum prolatis, ut nuper v. d. *): forsitan PLATONIS locus cavebit Epist. VII. p. 339. B. *Πρὸς γὰρ δὴ πάντα ταῦτα ἦν παρεσκευασμένη τὴν ἀρχὴν ἔχουσα ἡ ἐπιστολὴ τῇδέ πη φράζουσα· ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΠΛΑΤΩΝΙ· Τὰ νόμιμα ἐπὶ τούτοις εἰπών, „Οὐδὲν τὸ μετὰ τοῦτο εἰ- „πὲ πρότερον, ἢ ὡς ἂν εἰς Σικελίαν πεισθεὶς ὑφ᾽ ἡμῶν „ἔλθῃς"* etc. Aut enim fallor, aut adiectis *praetores Syracusani* significare voluit „epistolae solito modo et consuetis formulis conceptae ni- „hil ad summam speciem fidei defuisse".

Libro *vigesimo quinto* c. 10. *Vbi illuxit et Romanis Punica et Gallica arma cognita* TVM *dubitationem exemerunt, et Graeci Romanos passim caede stratos cernentes, ab Hannibale captam urbem senserunt.* Corrigit DUKERUS, offensus particula *tum, omnem dubit. exemerunt,* magis moris Ciceroniani memor quam Liviani, v. c. XXXIV, 34. etc. Vellem coniecisset: *Vbi illuxit,* TUM *et Rom. Punica* etc. quod, quantopere frequentet Livius, non unus locus documento est. V. II, 30. XXI, 25. VIII, 6. Neque in eo offenderet continuo iterata particula; quippe nec id re-

*) Fr. Chr. MATTHIAE in libro: *Bemerk. zu den Liv. Beschreib. der Schlachten b. Cannae* etc. p. 7.

fugit v. XXI, 22. XXIX, 9. At simile exemplum insolentius retractae particulae habes XXIII, 26. *Itaque et ipse Hasdrubal in collem satis arduum tutumque flumine etiam obiecto tum copias subducit*; ubi perperam vocem redundare arbitrabatur CREVIERIUS. XXV, 31. *Praedae tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset.* XXXIII, 36. *Et iam opera admoventi deditio est facta; idem metus tum incolentes alias Chersonesi urbes in deditionem dedit;* ubi nemo illud *tum* trahet ad *incolentes*. XL, 21. Memorabilis est locus Taciti An. XIII, 50. *Plerasque vectigalium societates a Coss. et tribunis plebis constitutas, acri etiam P. R. tum libertate.*

Eodem libro c. 16. narrat proditionem Flavii Lucani. Convenit is ducem Romanum ut ad insidiarum locum eum pertrahat, dum reditum populi sui in amicitiam Romanorum simulat: *Veteri delicto Lucanorum haud implacabiles fore Romanos: nullam umquam gentem magis exorabilem, promptioremque veniae dandae fuisse. Quoties rebellioni etiam maiorum suorum ignotum?* Etiam de huius loci corruptela unius suspicio fuit DUKERI, ita acuta, ut nullus recentiorum editorum se ex argumentorum laqueis expedierit. Quod ante paucos vix quatuor vel quinque annos Lucani contraxerant delictum defectione sua ad Poenum, quo iure, qua ratione *vetus* id appelletur,

quaeritur. Iam nemo opponat, *vetus*, *antiquus* similiaque infinitae potestatis verba, saepius, relata ad sensum, iuxta magnum parvumque intervallum indicare; quod verissimum per se secus est hoc loco, ubi id, quo referri videtur vox, longe est vetustius. Finge animo, Lucanorum gentem Romanos paullo ante beneficio aliquo demeritam consulem convenisse, dicentem: „Beneficii sui ergo veteri delicto non implacabi„les fore Romanos", nemo sane in oppositorum ratione haereret, etiamsi delictum non multo ante beneficium praecessisset; esset *praeteritum*, *prius*. Nunc cum *delicto* videatur opponere *rebellionem maiorum*, quid tandem voluit illo *veteri*. An? quod per quatuor annos tacitum praetermiserint, ei nunc non esse, quod implacabiles sint, adeoque exprobrare Romanis oblivionem delicti? Sed quamcumque in partem verteris vocem, si ita spectes ἄκυρον inest et ἀσύστατον: et potius requiras, quo iusta fiat gradatio ad *rebellionem*, *foederi relicto*. Iam vide an hanc ipsam poenitentiae significationem, reditumque ad Romanos oppositum cogitaverit *priori defectioni*. Et sane interdum ita utuntur his vocibus *vetus*, *antiquus* scriptores, ut referri debeant ad aliquid, quod illis quidem in animo est, sed quod adiicere grata negligentiâ non operae pretium ducunt. Liv. I, 33. Tacit. Ann. I, 53.

Eodem libro c. 35. Circumventa undique a Numidis Romanorum agmina *Consistere coeperunt: tamen* TUTO *ut simul pugnarent procederentque Scipio hortabatur, priusquam pedestres copiae adsequerentur.* Non video, cur mutari voluerit CREVIERIUS. Neque tamen iuvat explicatio edit. Göttingensis „sine periculo et metu". Nam quomodo hoc efficitur *sine periculo?* Imo *tuto* procedere est ita progredi, ut hosti nulla parte invadendi occasio sit: quemadmodum *tuta acies* dicitur IX, 21. quae et locum haud facilem ad circumveniendum cepit, et diversa statuit signa. Rem ita exprimit AMMIANUS MARCELLINUS XXV, 3. *Cumque teguntur firmiter latera, et exercitus pro locorum situ quadratis quidem, sed laxis incedit agminibus, invasa subito terga pone versus arma cogentium Principi indicatur* etc. Et saepius eiusdem rei meminit XENOPHON.

CAPUT UNDECIMUM.

Livii loca plura explicantur, illustrantur. Arbitror, testor. Idem refertur ad seqq. Oratio suppeditat verba, loquitur. Oratio oratoria. Cicero defensus. Ad incrementa gloriae celebratus. Polybii fragmentum cum Livio comparatum. Incertus passiva significatione. Nomina in statuis illustrata. Cicero defensus. Redundantiae species in Livio falso suspecta; plura Livii loca vindicantur. Glossa e Ciceronis Bruto sublata. Per ius, per fidem. Explicatur fraus Sociorum mutandae viritim civitatis causa inducta. Ex obesse assumendum prodesse, ex cliens, hostis, ex ἀμελοῦσι, ἐπιμέλονται etc.

De poena Campanorum agitur in senatu Lib. XXVI, 33. Ibi interrogatus M. Atilius Regulus, cuius ex iis, qui ad Capuam fuerant, maxima auctoritas erat.

In consilio, inquit, *ARBITROR me fuisse Capua capta quum quaereretur, ecquis Campanorum de Rep. nostra bene meritus esset; duas mulieres compertum est Vestiam Oppiam.. et Fauculam Cluviam.. illam quotidie sacrificasse pro*

salute et victoria Pop. Rom., hanc captivis egentibus alimenta clam suppeditasse.

Hanc interpunctionem retinemus, non mutamus cum DUKERO inciso post *capta* posito, ut seqq. uno tenore legantur. Ad testimonium Atilii vel maxime id pertinebat „se in *eo* consilio adfuis- „se cum quaereretur". Quod autem in verbis *duas mulieres compertum est* oratio est ἀνάστροφος, id genus Livio satis frequens est. III, 26. *L. Quinctius Cincinnatus consensu omnium dicitur. Operae pretium est audire, qui omnia prae divitiis humana spernunt, neque honori magnum locum neque virtuti putant esse; spes unica P. R.* Debebant etiam h. l. verba *spes unica* pendere ab *operae pretium est*, ut ibi *duas mulieres* ab *arbitror*. Ceterum non meminerat DUKERUS rationis illius verbi, cum mirabundus scriberet: „Sed quid *arbitrari* se dicit, quod haud dubie „pro certo sciebat". Quae causa fuit, ut nuper scriberet Gött. editor „Forte *recordor*". Imo legitimum illud atque unicum adeo fuit verbum, quo uteretur modestus testis. Luculenter CICERO pro M. Fonteio c. 9. *Recordamini iudices, quantopere laborare soleatis, non modo quid dicatis, sed etiam quibus verbis utamini, ne quod minus moderate positum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum esse videatur.... Credo haec eadem Induciomarum in testimonio timuisse aut cogitasse: qui primum illud verbum consideratis-*

simum nostrae consuetudinis ARBITROR, *quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus iurati, quae comperta habemus, quae ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit.* Ubi bene attulit HOTTOMANNUS Academ. Quaest. IV, 47. *Quam rationem etiam comprobat diligentia: qui primum iurare ex animi sententia quemque voluerunt, deinde ita teneri si sciens falleret, quod inscitia multa versaretur in vita: tum qui testimonium diceret, ut arbitrari se diceret, etiam quod ipse vidisset: quaeque iurati iudices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut videri pronuntiarent.* Hinc explicanda testis M. Volscii verba Liv. III, 13. quae nemini non, ignaro usus, mira videri debent: *Inter manus domum ablatum* (esse fratrem) *mortuumque inde arbitrari, nec sibi rem exsequi tam atrocem ..licuisse*; quae aliter plane narrat testis apud DIONYSIUM A. R. X, 7. Sic intelligimus CIC. Verr. Act. I, 14. *Ex quo mihi venit in mentem illud dicere, quod apud M'. Glabrionem nuper eum.. commemorassem, intellexi vehementer Pop. Rom. commoveri; me arbitrari, fore, ut nationes exterae legationes ad P. R. mitterent, ut lex de pecuniis repetundis tolleretur.* Ceterum rem attigerunt etiam BRISSON. de form. solemn. qui addit Liv. IV, 40., CORTIUS ad Sall. Cat. 20, 1. et FORCELLINUS h. v. ut mirari lubeat supinam nostrorum lexicographorum negli-

gentiam; quibus ne paratis quidem copiis uti placuit.

Libro vigesimo septimo c. 22. *C. Calpurnius vetitus ab Arretio movere exercitum, nisi quum successor venisset.* IDEM *et Tubulo (qui Calpurnio successurus erat) imperatum, ut inde praecipue caveret, ne qua nova consilia caperentur. Idem* (i. e. movere exercitum ab Arretio) non imperari potuisse Tubulo, qui Romae tunc commorans successor destinatus erat Calpurnio, vidit PERIZONIUS, corrigens *eidem;* sed hoc postulat, ut scribatur *caverent,* ut recte monuit DUKERUS. Nihil extricant recentiores interpretes. At refertur *idem* non ad id, quod antecedit, sed quod sequitur. Quod vetitus erat Calpurnius ab Arretio movere, eo spectabat, ne inter abscessum veteris et adventum novi praetoris nova consilia orirentur. Ab eo cavere item iubebatur Tubulus. XXIX, 24. *Masinissam prius ipsum ad Laelium venisse, querentem, quod cunctando tempus tereretur; nunc Syphacem mittere legatos,* idem *admirantem, quae tam diuturnae morae sit causa* I, 5. *Forte et Numitori* (ut Faustulo ante).. *tetigerat animum memoria nepotum; sciscitandoque* eodem *pervenit, ut haud procul esset quin Remum agnosceret;* ubi miro consensu et recentiores omnes et DRAKENBORCH. probant Flor. cod. lectionem *eo demum.* Nullus demonstrat, quid hoc sibi velit *eo denique.*

In Scipionis oratione Lib. XXVIII, 27. legitur: *Numquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer credidi... Ad vos quemadmodum loquar nec consilium nec* ORATIO *suppeditat.* Mirere hunc fugisse locum eos, qui ubique *rationem* suam venditant; cum sane centies occurrat *consilium* et *ratio*, etiam apud Livium XXXIV, 38. IX, 3. et Cic. Cluent. c. 5. At fallat quicumque haec ad sensum suum, non ad veterum consuetudinem exigat. Non hoc dicit: „Quomodo ad vos verba faciam, nec consilium, „nec verba sunt". Potius: „Nec quid apud vos „loquar scio, nec quibus id verbis exornem". Oratio speciatim est elocutio oratoria, quae ornamenta suppeditat oranti, et *loqui* Ciceroni dicitur Or. 27. Hinc explicandus CICERO de Or. I, 54. Socrates repudians Lysiae orationem, *Vt, si mihi*, dicit, *calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis habiles essent et apti ad pedem, quia non essent viriles; sic illam orationem sibi oratoriam videri, fortem et virilem non videri.* Aut fallor aut hoc ipsum *oratio oratoria* i. e. figuris verborum sententiarumque ornata respicit *λόγους κεκαλλιεπημένους καὶ κεκοσμημένους ῥήμασι καὶ ὀνόμασι*, quorum quantus artifex fuerit Lysias, et aliunde et e Phaedro Platonis constat. Ne diutius ambigatur de lectione, eo fortasse respiciens TACITUS Dial. c. 8. *Quo sordidius*, dicit, *nati sunt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquen-*

tiae utilitatem illustriora exempla sunt. Et c. 5. *Solum apud vos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam, omittit studium* etc.

Profectionem P. Scipionis in Africam quantus hominum favor prosecutus sit, narrat XXIX, 26. *Sed et bellum secundum priore ut atrocius Romanis videretur, quum quod in Italia bellabatur, tum ingentes strages tot exercituum... effecerant; et Scipio dux partim factis fortibus, partim suapte fortuna quadam ingentis ad incrementa gloriae celebratus converterat animos; simul et mens ipsa traiiciendi* etc. Etiam h. l. dudum verum dixit GRONOVIUS P. sed, ut saepius, surdis auribus. Hoc dicit LIVIUS: „Scipionem convertisse animos partim factis fortibus, partim, quod „sua quadam felicitate statim sub initia (initio) „increscentis gloriae studiis hominum celebratus „sit". Suapte fortuna dicit respiciens supra dicta (XXVI, 19): „fuisse Scipionem non veris tantum virtutibus admirabilem, sed arte quoque „quadam ab iuventa in ostentationem earum com„positum" *): unde stirpis divinae fidem multis

---

*) Huc referimus Fragment. Polybianum apud Suidam v. ἐσωματοποιεῖ inter histor. et geogr. LVIII. Tom. V. p. 70. Ὡςανεὶ καὶ τὸ αὐτόματον καὶ τύχη τις ἐσωματοποίει τὰς τοῦ Σκιπίωνος πράξεις, ὥςτ' ἐπιφανεστέρας ἀεὶ καὶ μείζονας φαίνεσθαι τῆς προςδοκίας. Quod si POLYBIUS eodem, quo LIVIUS ordine retulit, haud difficulter suspicari potest, desumptum esse fragmentum e Lib. X.

fecerat; unde statim, demandata ipsi provincia Hispania, summam rerum eius gestarum quasi animis praeceperant. Iam quid voluerit CREVIERIUS coniungens *celebratus gloriae ad ingentia incrementa*, quod dictum accipit ut XXVI, 19. *Ipse capti quadam superstitione animi*, et Hor. II Od. II, 6. *Notus in fratres animi paterni*, vix intelligas. Aeque minus, cur DRAKENB. traiectio placuerit *suapte fortuna quadam celebratus, ad incrementa gloriae converterat animos*, vel delere *celebratus*; cuius loco v. d. nuper coniecit *elatus*, item aberrans a sententia loci. *Ad incrementa gloriae celebratus* dictum est, ut *ad primum clamorem e castris evectus* XXXVI, 12. *Ad spem vulgatae clementiae aliquot populi defecerunt.* VELLEI. PAT. II, 17. *Qui neque ad finem victoriae satis laudari possit:* et centum alia, quae, si variae significationes praepositionis discretae essent in Glossario Liv., prope puderet attulisse.

Inter ea quae laudabiliter facta ab Hannibale in pugna ad Zamam commemorabantur a P. Scipione peritisque militiae, dicebatur (Lib. XXX, 35.) *milites Chartaginienses Afrosque, ut, omnibus rebus aliis pares, eo quod integri cum fessis ac sauciis pugnarent, superiores essent, Italicos intervallo quoque diremtos,* INCERTOS *socii an hostes essent, in postremam aciem summotos.* Passivam significationem vocis *incertus*, si non cer-

tioribus cognosceremus exemplis, quam DRAKENBORCHII ad h. l. et SILIUM II, 98. dubia significatione, in promptu erat scribere: *Italicos, intervallo quoque diremtos,* INCERTO *socii an hostes essent, in postremam aciem summotos.* Hoc Livianum. XXVIII, 36. *Multique adnantes navibus,* in certo *prae tenebris quid aut peterent aut vitarent, foede interierunt*: ubi id Ernestius pro adverbio accipit. Non meminerat ablativo adiectivorum absoluto et Livium saepius uti, et multo frequentius Tacitum eiusque aequales. Sed *incertus* passiva significatione habes in SALLUSTII Iug. 49. *Nam inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen* incerti, *quidnam esset,* ubi v. CORTIUM. et ita *gnarus, ignarus, nescius* aliaque huius generis adiectiva modo activa modo passiva significatione leguntur apud historicos.

Narrat lib. XXXI, 44. ut iram Athenienses odiumque in Philippum effuderint. Ibi legitur:

> *Rogationem extemplo tulerunt, plebsque scivit, „ut Philippi statuae, imagines omnes,* NOMINAQUE *earum, item maiorum eius virilis ac „muliebris sexus omnium tollerentur, delerenturque: dies festi, sacra, sacerdotes, quae „ipsius maiorumve eius honoris causa instituta essent, omnia profanarentur; loca quoque in quibus positum aliquid inscriptumve „honoris eius causa fuisset, detestabilia* esse etc.

Omnes traxit in sententiam suam DUKERUS, ut difficile sit contra tot consentientes loqui. Si statuae imaginesque Philippi, inquiunt, non tollebantur solum sed etiam delebantur, quid tandem necesse fuerit *nomina* i. e. titulos inscriptionesque earum delere utique perituras cum statuis ipsis? Cuinam placere posse putide additum, quod nemo requirat? Iam hoc facile concedimus vv. dd. vix cuiquam id additum requiri, si statuas cogitet infima sua parte inscriptas sive NOMINA in crepidine habentes, quae una cum statuis perire necesse fuit. Sed ad hoc statuarum imaginumque genus, quid est quod revocet nos? Dudum Athenis receptus fuit mos insignibus viris non statuas solum ponendi, sed basibus etiam, quo augustior species esset, imponendi, et non titulis solum sed etiam epigrammatis multoque verborum honore accumulato condecorandi. Notae sunt Cimonis statuae e PLUTARCHI Cim. cap. 14. Iam cum adulatio ex Oriente profecta dudum Athenis ita infecisset animos, ut omnes honores divinos communicarent cum hominibus, et parum haberent, si quem ut θεὸν ἀληθινόν venerarentur, nisi numen eius, quot potuissent modis, multiplicarent, — de Philippo etsi tacet historia loquuntur numi *) — num verisimilius hoc an

*) Numos Philippi et Persei simillimos notat ECKHEL Syll. I. p. 47. Ad eundem Philippum refert LIEBE *Gotha*

an illud statuarum genus cogitabimus? Ad hoc autem genus si retrahit res ipsa, an videri possit mirum, quod non statuae solum imaginesque, sed NOMINA etiam *earum* cautum vellent ne relinquerentur. Quid? si exoriretur, qui relictis basibus cum titulis suis clam privatis sumptibus novas statuas imponendas curaret, quas violari in locis sacris et inviolabilibus religio vetaret? Irritum fuerat totum illud abolendi consilium, et de integro res sancienda: ut non utilis sed prope necessaria debeat videri *nominum* diserta commemoratio. Ceterum ne quid fingere videamur in re, quae nostris quidem temporibus nemini erit obscura, memorabilis est locus, qui declaret, quantum in basi relicta momenti fuerit, CICERONIS in Verr. IV, 34. De Dianae statua Segestanis olim a P. Scipione restituta, a Verre ablata loquitur orator: *Haec erat posita Segestae sane excelsa in basi: in qua grandioribus literis P. Africani* NOMEN *erat incisum, eumque Carthagine capta restituisse perscriptum.* — C. 35. *Quo quidem scelere suscepto cum inanis esset basis, et in ea P. Africani* NOMEN *incisum, res indigna et intoleranda videbatur omnibus. Quod cum isti* (Ver-

Num. p. 106. numum *ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ* in quō fulmen infra coronam querneam, altera autem parte Apollinis imago radiata. Et sic passim in numis illius Iovis, Herculis imagines conspici insigniaque eorum, notat RASCHE Lex. Num. Tom. III. P. II. p. 166.

ri) *renuntiaretur de basi et literis, existimavit homines in oblivionem totius negotii esse venturos si etiam basin tamquam indicem sui sceleris sustulisset: ita tollendam istius imperio locaverunt.* — C. 36. *Hoc Verrem demoliendum et asportandum* NOMENQUE *omnino P. Scipionis delendum tollendumque curasse?* Alius in eadem oratione locus, qui testificetur Graecorum consuetudinem, occurrit c. 57. *Atque haec Sappho sublata quantum desiderium sui reliquerit, dici vix potest. Nam cum ipsa fuit egregie facta, tum epigramma Graecum pernobile incisum habuit in basi; quod iste eruditus homo et Graeculus, qui haec subtiliter iudicat, qui solus intelligit, si unam literam Graecam scisset — certe non sustulisset! Nunc enim quod inscriptum est inani in basi declarat, quid fuerit, et id ablatum indicat.* Nollem h. l. adhaesisset HERELIUS *una* coniiciens. Nemo, qui, paullulum adiuta distinguendo oratione crescente celeritate legerit verba, dubitabit verba *certe non sustulisset* referri ad *Sapphus statuam*, non ad epigramma incisum in basi.

Libro XXXIII, 27. legitur: *Hibernabat eo tempore Atheni* (l. Elatiae) *Quinctius. A quo quum multa socii peterent, Boeotii petierunt impetraveruntque, ut hi, qui suae gentis militassent apud Philippum, sibi restituerentur. Id a Quinctio facile impetratum.* Minutulum videbitur quod mo-

nebo; nec tamen praeteribo, quoniam multa magnaque ab eo pendent. Delendum censet Gothanus editor vocem *impetraverunt.* An quod inculcatam putarat e XXXIV, 43. *Pax quae cum T. Quinctio convenisset ut rata esset petierunt impetraveruntque* *). Sane, licet saepius similiter dicat Livius, nusquam illo modo locutum deprehendas. XXXVIII, 36. *Campani.. petierunt.. ut iusti sibi liberi heredesque essent: utraque res impetrata.* I, 11. *Romulum Hersilia orat, ut parentibus.. det veniam. Facile impetratum.* At sequitur illo loco verba *Id facile a Quinctio impetratum* statim *non quia dignos eos credebat, sed quia.. favor conciliandus erat,* ut nolim in ea orationis ubertate, quam ne refugiunt quidem qui toti sunt μικρόλογοι, quemquam offendere. Exempla ponamus, quo dilucidior res sit. Lib. XXII, 52. *Praeda ingens parta est: et praeter equos virosque, et si quid argenti erat, nam ad vescendum facto perexiguo utebantur, omnis cetera praeda diripienda data est.* Quis requireret verba *cetera praeda,* si abessent? Eod. lib. c. 42. *Dii prope ipsi eo die magis distulere quam*

*) Sane nulla re certius probatur glossa, quam sede eius, unde venerit, demonstranda. Ut IV, 37. *Clamor indicium fuit, quo res inclinatura esset; excitatior crebriorque ab hoste sublatus; ab Romanis impar, segnis, saepe iteratus (incerto clamore) prodidit pavorem animorum.* Verba, quae recte STROTHIUS delevit, adscripta sunt e X, 36.

prohibuere imminentem pestem Romanis: nam forte ita evenit, ut... servi duo... profugerent eo die ad dominos: etc. Eiusdem generis est locus X, 26. *Omnium rerum arbitrium et a populo et a senatu et ab ipso collega* (Decio) *Fabio permissum est: et quum P. Decius se in Samnium vel in Etruriam proficisci paratum esse ostendisset; tanta laetitia fuit.* Verba literis diductioribus expressa quid continent nisi repetitionem eorum, quae ante erant dicta? Similiter eod. lib. c. 14. *Ceterum quando ne ea quoque tentata vis proficeret, consilio grassandum, si vires nihil iuvarent, ratus, Scipionem legatum hastatos primae legionis subducere ex acie iubet.* Hinc intelligitur quid sit de XXI, 22. iudicandum: *Deinde* CVRA *humani ingenii, quum, quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo, temperare oculis nequivisse.* Coniecit Perizonius *more*, alius forsitan malit *nura* i. e. *natura*, quod nec Spaldingio displicebat. Similis est redundantia XXV, 18. *Crispinus supra scutum sinistrum humerum Badio hasta transfixit: superque delapsum cum vulnere ex equo desiluit, ut pedes iacentem conficeret:* quae mira videbuntur ei, qui comparaverit XXV, 34. XXVII, 27. At iterum recurrit XXXVIII. *saucius cum vulnere decidit ex equo* Quapropter ne porro ambigatur de loco Lib. XXV, 15. *Divisis copiis inter se duces Poeni quum agrum Thurinum ingressi*

essent, Hanno cum peditum agmine infestis signis ire ad urbem pergit; Mago cum equitatu tectus collibus ad tegendas insidias oppositis, subsistit. Certatim corrigunt vv. dd., Gronovius P. *Mago cum equitatu tectus collibus ad celandas insidias opp. s.*; Iacobus F. *Mago septus collibus* etc. quae id, quod offendit in loco, ne tangunt quidem; Vossius delens *tectus*: ut ipse excusatius peccarim, qui conieceram: *Mago cum equitatu advectus collibus.* Nulla mutatione opus videbitur ei, qui, quid ferat consuetudo scriptoris, perpenderit, neque corrigendi libidine, quasi aura, se huc illuc impelli patietur. Certiora *νοθείας* signa deprehendimus in Ciceronis Br. 80, 3. Loquitur de Hortensio: *Aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus: nec erat ulla vis atque contentio, sive consilio, quod eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur, sive quod natura non esset ita factus, sive quod non consuesset [sive quod non posset]: hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, afuit, si opus erat, defuit.* Facile apparet, quae uncis circumscripsimus, explicandis, quae praecesserunt, *sive quod natura non esset ita factus,* adscripta esse.

Antiochus dimissis legationibus Graecarum civitatum, consilium de bello Romano habet

XXXV, 17. *Ibi alius alio ferocius (quia quo quisque asperius adversus Romanos locutus esset, eo spes gratiae maior erat)* ALIUS *superbiam postulatorum increpare, tamquam Nabidi victo, sic Antiocho, maximo Asiae regum, imponentium leges.* „*quamquam Nabidi tamen dominationem in patri-* „*am suam, et patriam Lacedaemonem, remissam.* „*Antiocho si Smyrna et Lampsacus imperata fa-* „*ciant, indignum videri".* ALII *parvas .. belli cau-* „*sas tanto regi eas civitates esse, sed initium sem-* „*per* PER IUS *iniusta imperandi fieri"* etc. Longiorem adscripsimus locum, quippe prava distinctione aliquantulum obscuratum. Quare CREVIERIUS prius ALIUS delendum censuit, DRAKENB. autem ad ὑπερβατόν confugiendi necessitatem habuit. Neutrum opus est. Respiciunt verba *alius alio ferocior* utrosque, et qui „superbiam postu- „latorum increpabant, et qui dicebant *parvas bel-* „*li causas esse*". Nam ferociter agere potuerunt, opinor, etiam qui pacem bello praeferebant. Quare disingue: *Ibi alius alio ferocius (quia quo quisque asperius adv. Rom. locutus esset, eo spes gratiae maior erat)* ALIUS.. *increpare..;* ALII (dicere) *parvas et vix dictu dignas belli causas.. esse.* Ad postrema verba notavit GRONOVIUS: „scribe cum RUBENIO *a p a r v i s iniusta imperandi fieri.* Accessit DRAKENB. recipienda lectione. Ac sane variant codd. alius *quis*, alius *pervis*, aliquis *apius* et Lov. 5. dilucide *parvis* exhibens. At facile in-

telligitur, difficiliori intellectu id, quod intelligentiae patebat, substitutum esse a librariis. Recte tuetur BAUERUS *per ius iniusta imperandi*, in quo nemo offendet, qui meminerit *per fidem*, *per causam*, *per inducias* (i. e. per speciem fidei,) et plurium similium loquendi rationum. V. CORTIUS ad Sall. Frag. p. 950. et DRAK. ad I, 9.

Pergamo obsesso ab Seleuco Antiochi filio, intromissum est ex Achaia praesidium (XXXVII, 20.): *Veterani omnes et periti belli erant, et ipse dux Philopoemenis, summi tum omnium Graecorum imperatoris discipulus: qui biduum simul ad quietem hominum equorumque, et ad visendas hostium stationes, quibus locis temporibusque accederent reciperentque sese sumpserunt.* Memorabilis hic est locus ab negligentia scribentis. Anne mirum hoc, milites, quamvis veteranos, sumpsisse biduum ad visendas hostium stationes? Imperatoris id munus, non militum esse, alias ubique declarat. V. GRONOV. ad XXII, 9. et cf. XLII, 55. Et sequitur: *Haec Diophanes* (dux) *ex alta urbe Pergamo contemplatus est.* Deinde: *milites sumpsisse biduum ad quietem hominum.* Anne debebat *suam?* Non plane simile, sed tamen simile quiddam habes I, 20: *Sed quia* (Numa) *in civitate bellicosa plures Romuli, quam Numae similes reges putabat fore*: ubi nollem nuper v. d. coniecisset *sui.* I, 4. *Forte quadam an divinitus*

super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis nec adiri usquam ad iusti cursum poterat amnis: in quo loco haerebat BAUERUS. Pertinet eodem illud negligentiae genus, ubi hominum, quos loquentes introducunt, obliviscuntur scriptores. XXIII, 13. *Bellum* (dicit Mago) *tam integrum habemus* (Carthaginienses) *quam habuimus, qua die Hannibal in Italiam est transgressus. Quam varia victoria priore Punico bello fuerit, plerique qui meminerimus, supersumus* etc. Omnes improbant vocem *Punico.* Sane mutanda erit, si, quid personae senatoris Carthaginiensis conveniat, quaeramus. Condonari eam debere scriptori, qui ubique ostendit se sententiam verborum magis curare, quam verba, docebunt allata exempla. Nec ab opprobrio hoc alienus est aliquot locis etiam TACITUS.

Facinus narrat viraginis, uxoris reguli Gallograecorum XXXVIII, 24.: *Et iniuriam corporis,* dicit, *et ultionem violatae per vim pudicitiae confessa viro est, ALIAque (ut traditur) sanctitate et gravitate vitae huius matronalis facinoris decus ad ultimum conservavit.* Nihil mutamus, etsi etiamnunc blanditur nobis, quod olim coniecimus, ALTAQUE *(ut traditur) sanctitate* etc. *Alia sanctitate vitae* non est *reliqua s. vitae,* sed *sanctitate reliquae vitae.* XLIV, 4. *Nec aliud quam ultima necessitas, quum recipere se tuto ad naves prohiberentur, animos militum, Rom. simul desperatione*

ALIA salutis simul indignitate irritavit. Quamquam similior a significatione τοῦ *alius* est XL, 12. *Vt et hoc, quod iam, quale sit, scies, suspectum alio vitae nostrae tenore faceret.* In quo loco nihil differt a *reliquo.*

In Lycortae oratione ad Appium Claudium XXXIX, 37. legitur: *Specie, inquis, aequum est foedus; apud Achaeos precaria libertas, apud Romanos etiam imperium est. Sentio Appi, et, si non oportet, non indignor, sed oro vos, ut ita vos geratis* etc. Sensus est: „Sentio, Romani, nos sub„iectos vobis precaria libertate uti; neque id in„dignor, modo ne adeo crudele exerceatis in nos „imperium, ut me sortem nostram indignari opor„teat". Quam duplicem loci explicationem proposuit Drakenborch., quâ vel dixerit orator „etsi „non oportet ita cum Achaeis agi", vel „si non „existimas me id indignari"; utraque, cum a sententia abhorreat, vereor ne nulla sit.

Gravius offendit in Demetrii oratione XL, 12. vv. dd.: *Nisi T. Quinctium credis, cuius virtute et consiliis me nunc arguis regi, quum et ipse tali pietate vivat cum fratre, mihi fraternae caedis fuisse auctorem.* Sana sunt verba, licet CREVIERIUS *auctoritate et consiliis,* alii aliter malint. Non attenderunt *virtute et consiliis regi,* i. e. *fortibus consiliis regi,* si εἰρωνικῶς intelligatur, eum fundere sensum, qui requiritur. Nam

veneno grassari et occultis insidiis sane non est viriliter agere. Omnes autem virtutes pro flagitiis accipi posse, si sonus vultusque loquentis intelligentiam adiuvet, nota res est. (Donat. et Eugraphius ad Terent. Adelph. II, 1, 72.) Eadem est ratio Xenophontis K. A. I, 6, 6. *Οὐκοῦν, ἔφη ὁ Κῦρος, ὁπότ' αὖ ἔγνως τὴν σαυτοῦ δύναμιν, ἐλθὼν ἐπὶ τὴν τῆς Ἀρτέμιδος βωμὸν μεταμεμελῆσθαί σοι ἔφησθα;* Neque ἀνέγνως scribendum, neque ἀπέγνως. Dicit: „Cum iterum agnosceres „vires tuas i. e. imbecillitatem". Nam semel iam agnoverat, cum, Sardium arce occupata belloque suscepto contra Cyrum, effecerat Cyrus *ὥστε δόξαι ἐκείνῳ τοῦ πρὸς Κῦρον πολέμου παύσασθαι.* Notat de ἀνδρία pro ἀνανδρία et similibus Wyttenbachius Ep. cr. p. 10.

Plurium legationes sociorum Latinorum in senatum introductae audiuntur XLI, 8. (12.). *Summa querelarum erat*: „*Cives suos Romae cen*„*sos plerosque Romam commigrasse. Quod si per*„*mittatur, perpaucis lustris futurum, ut deserta* „*oppida.. nullum militem dare possent*". „*Fregel*„*las quoque millia quatuor familiarum transisse* „*ab se, Samnites Pelignique querebantur: neque eo* „*minus aut nos aut illos in delectum militum dare*". *Genera autem fraudis duo mutandae viritim civitatis inducta erant. Lex* etc. Plurimas habent haec et seqq. verba difficultates, de quibus sin-

gulatim exponamus. Ac primum haerent vv. dd, in verbis: *neque minus aut* NOS *aut* ***illos*** *in del. mil. dare.* Sane dicere debuit: *neque eo minus aut* SE (Samnites Pelignosque) *aut* ***illos*** (Fregellanos) *militum dare.* At talis pronominum permutatio non raro reperitur, ubi scriptores, ut licenter mutant orationem directam cum obliqua, aliquid e sua persona dixisse videri volunt. Longum est explicare, quot anomali inde profecti sint loquendi modi, faciles explicatu, si ab hac parte spectes. Morem scriptoris ostendit XXI, 59. *Venienti in Ligures Hannibali per insidias intercepti duo quaestores Romani C. Fulvius et L. Lucretius, quo magis ratam fore cum* HIS *pacem societatemque crederet, traduntur. Cum his?* an Fulvio et Lucretio? Imo cum *Liguribus*, et exspectabas potius alia verborum collocatione *secum*, aut cum *ipsis*. At dixit *his* e sua persona scriptor *). Similiter *ille*. SALLUST. Iug. 62. Cort. *Satis saepe iam et virtutem militum et fortunam tentatam; caveat* (Iugurtha), *ne* ***illo*** *cunctante Numidae sibi consulant.* et c. 96. ubi vide CORTIUM. THUCYDIDES II, 11. Ὥστε χρὴ καὶ πάνυ ἐλπίζειν διὰ μάχης ἰέναι

*) Nolim ut huc trahatur, quod notat FORCELLINUS h. v. „Reperitur etiam adhibitum ad ostendendam primam perso„nam pro *ego* δεικτικῶς, gestu scilicet ostendente se ipso, „qui loquitur. Ter. Andr. 2, 1, 10. Plaut. Curcul. 2, 1, 33 „Tib. 2, 6, 7. *Quod si militibus parces, erit* ***hic*** *quoque* „*miles*".

αὐτούς, εἰ μὴ καὶ νῦν ὥρμηνται ἐν ᾧ οὔπω πάρεσμεν, ἀλλ᾽ ὅταν ἐν τῇ γῇ ὁρῶσιν ἡμᾶς δῃοῦντάς τε καὶ τἀκείνων φθείροντας etc. Ab eadem re repetimus vim reciprocam pronominis *is*. Caes. B. G. I, 6. *Sese Allobrogibus vel persuasuros existimabant; vel vi coacturos, ut per suos fines* e o s *ire paterentur*. Item c. 5. Vellei. Paterc. II, 15. *Neque* (se) *in eius civitatis ius recipi, quae per* e o s *in id ipsum pervenisset, p e r q u o d homines eiusdem sanguinis fastidire posset;* ubi, quod obiter moneo, non scripserim cum Ruhnkenio *ex quo*. Memorabilis imprimis locus est XXXI, 11. propter duplicem mixtam constructionem XXXI, 11. *Iussique polliceri* (legati) *si quid* ei *ad firmandum regnum opus esse i n d i c a s s e t*. Coniecerat Gronov. *sibi*. Sic explicandus XL, 47. *Quum iam opera admoveret* (Certimae), *veniunt legati ex oppido, quorum sermo antiquae simplicitatis fuit. Petierunt enim, ut sibi in castra Celtiberorum ire liceret, ad auxilia accipienda; si non impetrassent tum separatim* eos *ab illis consulturos*. Flagitat sensus *s u o s*, ut legitur §. 6. Caes. B. G. IV, 9. et coniecit editor Götting. At idem e persona scriptoris dictum est *eos*.

Sequitur lex ipsa, non grammaticas, sed historicas obiiciens lectori difficultates. *Lex sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent. Ea lege male utendo alii sociis, alii pop. Romano iniuriam*

faciebant. Nam et, NE *stirpem domi relinquerent, liberos suos quibus quibus Romanis in eam conditionem, ut manumitterentur, mancipio dabant, libertinique cives essent: et quibus stirps deesset, quam relinquerent ut cives Romani fiebant. Postea his quoque imaginibus iuris spretis, promiscue sine lege, sine stirpe in civitatem Romanam per migrationem et censum transibant.* Ac rationem legis, cuius memoriam unus servavit Livius, vix dubitamus perspexisse, et egregie vindicasse a GRONOVIO, DUKERUM. Fuit: „ne in coloniis apud „socios soboles iuventutis ad bella deficeret; et „ut iidem, proposito patribus qui stirpem domi „relinquerent praemio civitatis Rom., ad liberos „procreandos invitarentur". Quare rècte hanc legem inter praemia παιδοποΐας retulisse LIPSIUM iudicare debemus, eamque ceteris praelusisse, quas crescens Augusti temporibus libido necessarias fecit. Verum, ut de ea re constet, ita, quae exposuit Livius de fraudum variis modis, cum per se obscura sunt nimia scriptoris brevitate, tum obscuriora facta variis discrepantium interpretum sententiis; in quibus etiam DUKERI ponimus, etsi hic, ut semper alias, aliqua acutius vidit. Nam si primo fraudis genere de iis loquitur scriptor, qui liberis suis tempore migrationis relictis in coloniis, eos post id tempus clam subducebant coloniis — de quo dubitat nemo — quae tandem necessitas est, ut Sigonianam amplecten-

tes correctionem scribamus cum DUKERO: *Nam et* QUI *stirpem domi relinquerent?* An fugiebat DUKERUM, hoc ipsum, quod quaerit, gravius expressum latere in verbis *ne relinquerent* i. e. *ne relinquere coacti essent?* Centies ab hac vi subiunctivi omnis pendet sententiae vis. TACIT. Ann. VI, 12. *Sanxisse Augustum, quem intra diem ad Praetorem urbanum deferrentur, neque privatim habere liceret.* LIV. V, 41. *Comitiis, auspicato quae fierent, indignum Diis visum honores vulgari.* II, 15. XXVII, 7. *Sed literae Marcelli... curam iniecerant, ne aut consulem,.. a bello avocarent, aut in annum consules deessent.* V. GRONOV. ad XXI, 36. XXXVII, 17. Quare hoc quidem salvum sit a corrigendi temeritate.

Restat alterum genus fraudis, initum ab iis, quibus deesset stirps, aliquanto difficilius ad explicandum, quippe soli fere divinationi relictum. Iam in eo explanando facile largimur Dukero, qui nullam haberent spem Romam migrandi liberis destituti, eos emancipando semet ipsos sive in servitutem addicendo civibus Romanis, a quibus manumitterentur, potuisse cives Romanos fieri; — quis negare tale quid sustineat? —; dummodo ne id colligi contendat v. d. e verbis, ut nunc leguntur, sive etiam ut legi vult DUKERUS: *Et quibus stirps deesset, quam relinquerent,* ITA *civ. Ro. fiebant.* Adeo dura et contorta ea est ratio, ut, si vera sit, etiam tum quaedam elapsa esse

crediderim. Sed quae tandem huius rationis praesidia sunt a reliquo sententiarum nexu? quomodo cum his coniunges et *ea lege male utendo*, et quae proxime sequuntur *sine lege, sine stirpe*, denique in fine cap. adiecta: *Ne quis quem civitatis mutandae causa suum faceret, nevé alienaret* etc.? Vellem ad ea attendisset philologorum iureconsultissimus, quae, si ad exactam interpretationem revocas, plane aliam sententiam produnt. Nimirum haec si specto, et quae simili in causa diversis temporibus facta tradunt Gellius et Tacitus *), orbos fictis liberorum adoptionibus iura sibi praemiaque inter patres arrogasse, equidem quaedam elapsa esse crediderim, in hunc ferme modum restituenda: *Et quibus stirps deesset, quam relinquerent, ii, simulatis adoptionibus liberorum, quos tamquam ex sese natos in coloniis relinque-*

---

*) Gellius N. A. V, 19. *Animadvertimus in oratione P. Scipionis quam censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quae reprehendebat.. id etiam culpasse, quod filius adoptivus patri adoptatori inter praemia patrum prodesset.* Tacit. Ann. XV, 19. *Percrebruerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis, aut sorte provinciarum plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptaverant.* Vti poterat his locis Crevierius, acute sensum loci coniiciens. Neque his usus est, neque ceteris *ea lege male utendo* etc. ad coniecturam suam firmandam.

rent, cives Romani fiebant. Iam haec, quomodo cum prioribus et seqq. cohaereant, continua malui interpretatione intelligi quam singulis locis separatim excutiendis. Is igitur erit sensus loci. „Lex sociis ac Latini nominis permittebat, ut, „qui domi relinquerent stirpem ex sese natam „(non adoptivam), Romam migrantes civitatem „acquirerent. Hac lege male utentes (male in„terpretando) pars coloniis, quas incolis suis si„ve familiis privabant, pars Pop. Rom., quem „multitudine onerabant nulla caritate prolis urbe „adstricta, iniuriam faciebant. Nam qui concesso „sibi iure poterant Romam migrare relicta fami„lia in coloniis, ii, ne suos relinquendi necessitas „esset, liberos quibusquibus Romanis in servitu„tem tradiderunt (post migrationem opinor), „ut manumitterentur, libertinique cives essent: et „quibus stirps deesset, atque omnino ius mutan„dae civitatis, simulatis adoptionibus liberorum, „quos tamquam ex sese natos relinquerent, eodem „quo ceteri iure Romam migraverunt. Postremo „spretis etiam his imaginibus iuris, sine lege si„ne stirpe i. e. sine legis auxilio neque traditis „neque assumptis liberis in civitatem Romanam „per migrationem et censum transierunt". Quare cautum est lege: *Ne quis quem civitatis mutandae causa* s u u m *faceret, neve alienaret, et si quis ita civis Romanus factus esset, ne is esset.* Iterum hic viro docto occurrendum est. Interpretatur

tatur verba GRONOVIUS: „Ne quis quem civitatis „mutandae causa mancipio acciperet (civis Ro- „manus), et (colonus) traderet (civi Romano)". At ita una res bis exprimitur. Nihil obstat, quo minus duas statuamus partes legis fuisse: unam, „ne „quis mutandae civitatis causa aliquem adoptaret „(*suum faceret* i. e. in patriam potestatem acci- „peret); alteram, ne quis quem traderet ex liberis „suis civi Romano, quo manumitteretur". Cui explicationi et verba *mutandae civitatis causa* magis conveniunt, et his adiecta *Et si quis ita civis Romanus factus esset, ne is esset.* Iam hac explicatione utrum patefactus sit locus, tantopere obscuratus, iudicabunt harum rerum periti.

In Callicratis oratione Achaeos a societate eum Perseo avertentis XLI, 23. legitur: *Duos habuit filios Philippus, Demetrium et Persea. Genere materno, virtute, ingenio, favore Macedonum longe praestitit Demetrius. Sed quia in Romanos odii regnum posuerat praemium, Demetrium nullo alio crimine quam Romanae amicitiae initae occidit. Persea, quem Pop. Rom. prius* POENAE *quam regni heredem futurum sciebat, regem fecit.* Notavit GRONOVIUS P.: „Cuius poenae? et unde sci- „ret populus Rom. de hac poena, quam nemo „credo umquam scivit"? Atqui *poenam* posuit pro re poenam merente, sive meritura. Cuius hereditatem si pop. Rom. sciebat Persea prius paene quam regni aditurum esse; quae tandem alia sit,

quam poena cogitati a Philippo et tantum non suscepti belli, de quo per totam orationem sermo est? Quare acute dicta nolim mutari. Ut *poena* ita *odium* pro re ponitur quae odium excitat, et *invidia* pro re quae invidiam excitat in loco multis male intellecto VI, 27. *Censoribus quoque eguit annus: maxime propter incertam famam aeris alieni; aggravantibus summam etiam invidiae eius tribunis plebis, quum ab iis elevaretur, quibus fide magis quam fortuna debentium laborare creditum videri expediebat.* „Haec non capio", inquit Dukerus. „*Summam* sine dubio dicit sum-„mam aeris alieni. Sed quid est *summam invi-„diae eius?* Si dixisset *aggravantibus summam et-„iam invidiose tribunis plebis* nihil haererem". Quare Strothius coniecit *invidiae ergo.* Non coniecisset, opinor, si Drakenborchius attulisset, qui unus idoneus erat ad integritatem sententiae vindicandam, locum II, 23. *Fremebant „se foris pro.. imperio dimicare, domi a civibus captos et oppressos esse" — invidiamque eam sua sponte gliscentem insignis unius calamitas accendit.* Sic *indignitatem vindicandam ratus* II, 12. Et V, 33. *Ii* (Thusci) *in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras: prius cis Apenninum ad inferum mare postea trans Apenninum totidem quot capita originis erant coloniis missis.* Perperam mutabat Heumannus *regionis.* Sall. Iug. 22.

De lustro condito a. u. 580. loquitur XLII, 10. *Censa sunt civium Romanorum capita ducenta sexaginta novem millia et quindecim. Minor aliquanto numerus, quia L. Postumius cons. pro concione edixerat, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudii Consulis redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romae,* ET *omnes in suis civitatibus censerentur.* Nollem audisset DRAKENBORCHIUS Curionem. Verum est *et*, (haec est cod. Vindob. lectio) non *sed*, quod substituit ille. Liv. XXXII, 35. *Et opinionem ipse affirmavit petendo, ut submotis aliis, ne tempus altercando tereretur,* e t *aliquis finis rei imponi posset, cum imperatore Romano liceret sibi colloqui.* Quae compara ad vim particulae intelligendam cum POLYBIAN. Histor. XVII, 8. Tom. IV. p. 19. Schw. *Διὸ καὶ τότε συνεγγίσας ἠξίου τὸν τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸν ἰδίᾳ πρὸς αὐτὸν διαλεχθῆναι περὶ τῶν ἐνεστώτων, ἵνα μὴ λόγοι λέγωνται μόνον ἐξ ἀμφοτέρων ἀψιμαχούντων,* ἀ λ λ ὰ *καὶ τέλος τι τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἐπιτεθῇ.* Hinc expedienda PHAEDRI scriptura Fab. I, 3. *Ne gloriari libeat alienis bonis,* s u o q u e *potius habitu vitam degere.* Scripserat BENTLEIUS cum Meursio *suo quin potius.* Nihil mutandum esse vidit quasi per nebulam BURMANNUS. Ita scribendum LIVII loco VI, 35. *Ne tribunorum militum comitia fierent,* c o n s u l u m q u e *utique alter ex plebe crearetur.* V. D. RUHNK. ad Rut. Lup. p. 46. „Vt enim ex *Nemo, Nolo,*

„*Nego*, quae aperte negant, saepe elicienda est „significatio in proximo membro orationis quae „affirmat" (verba sunt GRONOVII Observ. IV, 2.), ita saepius, praegresso *ne*, ponitur *et*, ut id sit *et ut*. Vid. D. RUHNKENIUM l. c.

Inter Asiae Graeciaeque legationes Romam venientes finito bello cum Perseo Rhodiorum maxime legati civitatem converterunt, XLV, 20. *Nam quum primo in veste candida visi essent, quod gratulantes decebat,* ET, *si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum praebere speciem poterant: postquam Patres.. censuerunt* etc. Copulae nullus hic locus est. Desideramus causalem aut explicativam particulam. Conieceram: *Nam quum primo in veste candida visi essent,* UT, *si sord. vestem hab.,.. poterant* etc. *Vt* minus vulgari significatione cum verbo coniunctum est *utpote, quia;* quod nondum in Lexica relatum exemplis allatis planum faciamus. CAESAR de B. G. V, 43. *Hic dies nostris longe gravissimus fuit: sed tamen hunc habuit eventum, ut eo die maximus hostium numerus vulneraretur atque interficeretur, ut se sub ipso vallo constipaverant recessumque primis ultimi non dabant.* CURT. III, 11, 9. *At Macedones, ut circa regem erant, mutua adhortatione firmati, cum ipso in equitum agmen irrumpunt.* V, 4, 31. *Ergo undique Macedonum armis fulgentibus oppressi, memorabile tamen proelium edunt; ut, opinor, ignaviam quoque necessitas acuit; et saepe desperatio spei causa est.*

Ita distingue. Vulgo *ut opinor* etc. Liv. XXI, 35. *Ceterum iter multo quam in adscensu fuerat (ut pleraque Alpium ab Italia sicut breviora ita arctiora sunt) difficilius fuit.* XXII, 60. *Nisi quis credere potest* (fortes) *fuisse, ut erumpentibus, quin erumperent, obsistere conati sunt, aut non invidere eos quum incolumitati tum gloriae illorum per virtutem partae:* ubi, alioqui egregie non tamen accurate Gronov. „cum voluerunt"; nam temporalis particula non locum habet; debebat „cum voluerit", sive „quia voluerunt". Sallust. Cat. 59. *Nam uti planities erat inter sinistros montes et ab dextra rupe aspera, octo cohortes in fronte constituit.* Ubi Cortius hoc cum „ut in „tali tempore" similibusque contulit. — Ne quid mutandum censeas, cavebunt supra dicta p. 65.

Eodem libro c. 20. *His auditis prostraverunt se omnes humi, consulemque et cunctos qui aderant orantes, ne nova falsaque crimina plus* OBESSE *Rhodiis aequum censerent, quam antiqua merita, quorum ipsi testes essent.* Etiam hic locus emendatione egebit, si vere censeant Dukerus, Drakenborchius, Crevierius corrupte circumferri c. 34. *Ne plus o b s i t nobis, quod uno bello cessavimus, quam quod duobus bellis pro vobis pugnavimus.* Utriusque loci par est ratio. Ex praecedente verbo eruendum est, quod in altero orationis membro illi contrarium opponatur. Non provocabo, ut corrigendi temeritatem coerceam, ad

XXVIII, 27. *Negate vos id omnes fecisse, aut factum voluisse milites: paucorum* (dicite) *eum furorem atque amentiam esse.* Qui locus potius ad illud referendum est genus, de quo diximus ad XLII, 10. At eadem est analogiae ratio VI, 18. *Quot enim clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc adversum unum hostem eritis.* An *clientes?* Imo *hostes*: Sic explicandus est male intellectus Livii locus VII, 40. *Eodem tenore duo insequentes consulatus gessi; eodem haec imperiosa dictatura geretur; ut neque in hos meos et patriae meae milites mitior, quam in vos, horreo dicere, hostes.* Sensus est; „Ita geram dictatu-„ram, ut non minus me mitem praebeam in pa-„triae meae milites, quam in vos, si hostes, quod „dicere horreo, eritis, hostilem". Neque incognita ea est negligentia, ex sermone quotidiano adscita, Graecis. Plato Apol. 361, B. *Τί οὖν; τί ἄξιός εἰμι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι, ὅ,τι μαθὼν ἐν τῷ βίῳ οὐχ ἡσυχίαν ἦγον, ἀλλ' ἀμελήσας, ὧνπερ οἱ πολλοὶ, χρηματισμοῦ τε καὶ οἰκονομίας καὶ στρατηγίων καὶ δημιουργιῶν καὶ τῶν ἄλλων ἀρχῶν...., ἐνταῦθα οὐκ ἦϊα* etc. Perperam Fischerus ex praecedente *ἀμελήσας* repetendum esse censet *ἀμελοῦσι,* idque *εἰρωνικῶς* explicandum; ipsum huic *ἀμελοῦσι* oppositum assume *ἐπιμέλονται.* Illustrabit rem Wolfius.

CAPUT DUODECIMUM.

Livius pluribus locis emendatus. Suppedito vi neutrali. Loca onerata quo sensu dicantur Romanis. Locutiones a sera, obice, sepe translatae. Exercitum subitum mittere. Rutilius Lupus obiter emendatus. Hastati legionarii. Priscianus e MS. Gruteriano obiter emendatus. Adiectivorum et adverbiorum similitudinis relatio ad sensum. Impune est sine casu rei et personae. Coquere bellum neque συγχέειν, neque conflare etc.

Ad finem properantes, quod reliquum est huius libri, uni emendationi Livii destinavimus. In quo si correctiones pleraeque similes deprehendantur illis, quarum specimen exhibuit caput secundum, non temere telam exorsam illic, continuatam capite octavo, hoc loco pertexuisse videbimur.

Philippus cum satis comperisset Eordaeam petituros Romanos, ne superare possent aditum arctis faucibus inclusum, ad occupandas angustias praecessit XXXI, 39. *Ibi alia vallo, alia fossa, alia lapidum congerie, ut pro muro essent, alia ar-*

boribus obiectis, ita ut locus postulabat, aut materia suppeditabat, OPERE *permuniit, atque — ut ipse rebatur — viam difficilem obiectis per omnes transitus operibus inexpugnabilem fecit.* Saepius legitur ποιητικώτερον *locus opere munitus, emunitus, permunitus.* Et tamen manifesta est huius loci corruptela. Nominatae enim, quae opus efficiunt, partes generis mentioni repugnant. Delent inutilem vocem DRAKENBORCHIUS, CREVIERIUS, recentiores editt., quae in tribus codd. desit. Nondum fido his codd., qui tot locis in his libris omissione aut traiectione vocum negligentiam suorum exscriptorum produnt. Potius, quo ipsa nos, nisi fallor, concinnitas membrorum revocat, scribendum: *Ibi alia vallo, alia fossa, alia lapidum congerie, ut pro muro essent, alia arboribus obiectis, ita ut locus postulabat, aut materia suppeditabat* OPERI, *permuniit, atque viam natura difficilem, obiectis per omnes transitus operibus inexpugnabilem fecit.* Vim neutralem verbi habes I, 55. *Manubiae vix in fundamenta suppeditavere.* XXII, 39. *Nec his paucis victus suppeditat.* RUTIL. LUPUS II, 9. p. 116. *Vt huic ipsi ambitioni copia suppeditare possit*: et satis illustravit GRONOV. ad Liv. XXII, 39. Repetitum *operibus* aeque minus offendit, quam bis positum *obiectis.* V. supra p. 171.

Obsessis faucibus ad Antigoniam a Philippo,

quo aditum in Epirum intercluderet Romanis, saepe frustra tentata est expugnatio XXXII, 11: *Quum in hoc statu res esset, pastor quidam a Charopo principe Epirotarum missus deducitur ad consulem. Is se in eo saltu, qui regiis nunc* ONERATVS *castris erat, armentum pascere ait: omnes montium eorum amfractus callesque nosse. Si secum aliquos mittere velit, non iniquo nec perdifficili aditu supra caput hostium deducturum. Onerata* dicuntur *loca* Romanis (si una notione comprehendimus varias verbi significationes) in quibus ita accumulatae sunt res, ut locus vix vel pondus ferat, vel spatium recipiat; quod de *castris* dici h. l. nemini non permirum accidet. De onere, cui sustinendo impar videbatur saltus (ut dicitur *mensa onerata dapibus)* non opus est dicere. Ne de spatio cogites occupato ambitu castrorum, prohibent adiecta *is se in eo saltu armentum pascere ait.* Erat enim aditus saltus occlusus, non saltus ipse occupatus, cum angusta valle, qua fluit amnis Aous inter montes Aeropum et Asnaum, rex in Aeropo posuisset castra, Athenagoram autem Asnaum tenere iussisset. v. XXXII, 5. Iuvat corruptelae suspicionem codd. varietas; nam alii *ornatur*, alii *ornatus*, alii aliter; et sequens in fine *oneratus*, quo aberrarunt describentium oculi. Quare non OCCVPATVS cum DUKERO legendum censemus, sed, quo omnia ducunt: *Is se in eo saltu, qui regiis nunc* OBSERATVS *castris erat, ar-*

mentum pascere ait. Mire sibi placent Romani in loquendi formulis translatis a *sera, obice, sepe.* Liv. IX, 2. *Citati inde retro pergunt repetere viam. Eam quoque clausam suo obice armisque inveniunt.* Audacius Tacit. Hist. IV, 71. *Et addiderat fossas obicesque saxorum.* Liv. XXVIII, 5. *Thermopylarum saltum, ubi angustae fauces coartant iter, fossa valloque intercludi ab Aetolis nunciabant.* Liv. XLIV, 8. *Hoc flumine Perseus septum iter hostis credens.* Vellei. II, 51. *Mare praesidiis sepserat.* Tacit. Hist. III, 8. *Et interiectus exercitus... Alpes, ne pervium illâ Germanis exercitibus foret, obsepserat.* Flor. III, 6, 10. *Ipsas Propontidis fauces Porcius Cato sic obditis navibus quasi portam obseravit.* Ammian. Marcell. XXI, 12. *Formidabat enim, ne clausorum militum apud Aquileiam repentino assultu obseratis angustiis Alpium Iuliarum provincias et adminicula perderet.* Denique de eodem saltu habes XXXII, 21. *Cur excessit faucibus Epiri claustrisque illis inexpugnabilibus super Aoum amnem?*

Expulso rege e saltu, in montes Epiri perrexit interiectos Macedoniae Thessaliaeque XXXII, 13. *Ibi stativis per aliquot dies habitis fluctuatus animo est, utrum protinus in regnum se reciperet, an reverti in Thessaliam posset. Inclinavit sententia SVVM in Thessaliam agmen demittere, Tric-*

camque proximis limitibus petit: inde obvias urbes raptim peragravit. Ab omnibus damnatur vox *suum,* quae, cum alteri non opponatur, sane habet, quod graviter offendat. GRONOVIUS auctor est, ut scribatur *citum.* Anne fuit? *Inclinavit sententia, SVBITVM in Thessaliam agmen demittere* etc. Notum est VIRGILII *Subitum examen pependit in summo.* FLOR. IV, 2, 59. *Mox in peninsulam Pharon subitus evasit.* Liv. XXVI, 25. *Expeditionem subitam in Oricinorum fines fecit.* Nimirum neutrum adiectivi pro adverbio positum verbo reddendum est. Depravatio orta est ex SVTVM. Simile mendum inquinavit locum RUTILII LUPI I, 12. Affert ad illustrandum schema Diaphorae — ubi verbum iteratum aliam sententiam significat ac significavit primo dictum — locum ex oratore Graeco desumptum: VNIVERSUM *mulierem: quid potius dicam aut verius, quam mulierem?* Notat RUHNKENIUS, cum monuisset Rob. Stephanum solita licentia clam edidisse *In universum mulierem,* qua mutatione sensus nil adiuvatur, „Mihi non dubium est, quin quaedam ela„psa sint. Itaque hanc plagàm melioribus libris „sanandam relinquo". Quod iudicium eximii viri probaremus, si exempli altius repetendi ulla ratio appareret. Nunc cum id ipsis verbis *mulierem — mulierem* absolutum appareat, satius erit corruptelam in illo *universum* quaerere. Scribe: *ANIMADVERSUM in mulierem; quid potius dicam, aut*

verius quam mulierem? Corruptio nata est ex compendiaria scribendi ratione *animversum*; sequens *in* absorpsit seq. littera *m*. Commode Livius XXXIX, 18, 6. *Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato animadverterent in eas.* Rutilius I, 28. p. 62. de Alexandro ex Aristotele: *Cum autem confligendum esset cum hostibus fortissimus; cum vero praemium dignis tribuendum liberalissimus; at cum animadvertendum clementissimus* etc.

Simile mendum, e simili corruptela natum, depravavit initium libri XXXIII. Quinctius gentem Boeotorum cupiens ditionis suae facere, quinque millia a Thebis posuit castra. *Inde postero die cum unius signi militibus, et Attalo legationibusque, quae frequentes convenerant, pergit ire ad urbem, iussis* legionis *hastatis (ea duo millia militum erant) sequi se mille passuum intervallo distantes.* At si verum est, quod perspicue e XLII, 3. docuit Dukerus, militum numerum in legionibus eo tempore (a. u. 555.) non adscendisse ultra quina millia ducenosque pedites, numerum hastatorum apparet fuisse in legione mille et ducentos milites, apertumque vitium h. l. deformat. Nude etiam positum *legionis*, cum accipi non possit de una certa legione, nemini placere poterit, qui meminerit *consularem exercitum* attributum imperatori: dixisset auctor *unius legionis*, aut *le-*

gionum. Nimirum librarii cum invenissent in libris LEGION'IS, inde fecerunt LEGIONIS, admodum pingui Minerva. Scribe: *iussis* LEGIONARIIS *hastatis.. sequi se* etc. Vitium hoc frequentissimum est in MS^tis^. Sic factum ex *cohortibus cohortis*, ex *hominibus hominis*, ex *rationarium rationum*, aliaque prodierunt ludentis calami figmenta. Eodem modo peccatur apud PRISCIANUM L. XVII. pag. 1056. Putsch. *Similiter quantus interrogantibus omnes species quantitatis aptissime subiunguntur, ut longus, brevis, magnus, parvus et similia.* Scribe e MS^to^ Gruteriano: *Similiter quantitatis interrogationibus* etc.

Eodem libro c. 27. caedem refert Brachyllae Boeotarchi. Hunc epulatum in publico, cum domum reverteretur prosequentibus mollibus viris, sustulerant Zeuxippus et Pisistratus principes factionis Romanorum:

> *Luce prima concio frequens, velut exstante indicio.. in theatro erat. Palam ab suo comitatu et obscoenis illis viris fremebant interfectum: animis autem Zeuxippum auctorem destinabant caedis. In praesentia placuit, comprehendi eos, qui simul fuissent quaestionemque ex his haberi. Qui dum quaeruntur Zeuxippus* CONSIMILI *animo avertendi ab se criminis causa in concionem progressus, „errare", ait, „homines, qui tam atrocem caedem ad illos semiviros pertinere crederent.*

Notavit Dukerus: „Non video, quo verba „haec referri possint. Nam non potest esse ut si„militer ostenderet sibi placere comprehendi eos, „qui simul fuerant, quaestionemque ex iis habe„ri: ad hos enim nihil pertinere hanc caedem „persuadere voluit. Locum corruptum aut muti„latum credo". Reperit nuper, quo referri debeat vox, Gothan. editor. Hoc nimirum dixisse putat Livium. „Palam concio a comitatu suo Brachyl„lam interfectum esse vociferabatur, animis autem „destinabant Zeuxippum et Pisistratum. Consi„mili animo, aliud palam loquendi, aliud animo „destinandi, progressus est Zeuxippus avertendi „criminis causa in concionem". At haec verbi relatio cui tandem probari possit? Requirimus: *Non segni* i. e. audaci animo progressus est, plane dissimili semivirorum, qui, quamvis innoxii, vitae suae timentes aufugerant, et etiamtum quaerebantur. Quare legendum censemus:

> *Qui dum quaeruntur* (semiviri), *Zeuxippus* NON SIMILI *animo, avertendi ab se criminis causa in concionem progressus*, „*errare*", *ait*, „*homines, qui tam atrocem caedem ad illos semiviros pertinere crederent.*

Conieceram aliquando *consimili sceleri animo* i. e. audacia simili illi, qua facinus perpetraverat; loquendi genus et elegans et saepius obvium apud Livium. Sed qui usum adiectivorum similitudinis norit apud hunc scriptorem, facile ac-

quiescet mecum in illo. XXV, 21. *Et Hannibal haudquaquam similis* (Fulvio) *dux, neque simili exercitu, neque ita instructo aderat* etc.

Ead. narratione aliud est vitium relictum, idque saepius iam emendatum. Legitur:

> *Et Zeuxippus quidem fuga servi motus Athenas tutiorem exilio locum ratus concessit. De Pisistrato* ALIQUAE *quaestiones tormentis habitae et sumptum supplicium est.*

Aliquae quaestiones propria verbi vi quaestiones sunt incertum *quae, cuius generis.* Quod nemini non tali illustratum expositione videbitur a sententia abhorrens; etsi vix videbitur iis, quibus et quaestiones *aliquae* et *quaedam,* et *nonnullae* idem fere valent. Scripsit Gronovius P. *aliquot* i. e. plus semel: I. Gronovius *de aliis*, quasi id historia suaderet: peius Heumannus *denique.* Nobis, quos non fugit multiplex usus pronominis indefiniti, una eademque semper recurrit coniectura:

> *Et Zeuxippus quidem fuga servi motus Athenas tutiorem exilio locum ratus concessit. De Pisistrato* AEQUE *quaestiones tormentis habitae et sumptum supplicium est.*

Aeque idoneam habet relationem ad semiviros, quos insontes torserant. Et ita omnia adverbia comparationis vel similitudinis, si non habent eodem membro adiectum, quo referantur, referuntur ad aliquid a prudenti lectore e praeceden-

tibus assumendum; cuius rei ignoratio quot falsas peperit explicationes, particulae *Perinde* exemplo nuper demonstravit in Praef. ad Lex. Schellerianum D. RUHNKENIUS.

Insignior est corruptela eodem libro c. 49. Mittunt Romani legatos Carthaginem ad Hannibalem accusandnm:

> *Romani legati quum in senatu exposuissent, „Compertum Patribus Romanis esse et Phi-„lippum regem ante ab Hannibale maxime ac-„census bellum Pop. Rom. fecisse, et nunc li-„teras nunciosque ab eo ad Antiochum regem „profectos: haud quieturum ante, quam bel-„lum toto orbe terrarum concisset. Ne* HIS *„debere impune esse, si satisfacere Carthagi-„nienses populo Rom. vellent, nihil eorum sua „voluntate nec publico consilio factum esse". Carthaginienses responderunt, „quidquid ae-„quum censuissent Romani, facturos esse".*

Ac primum peccatur in omnibus exemplaribus mala distinctione verborum. Nam cum verba *Rom. legati quum in sen. exposuissent* ordiantur *πρότασιν,* cuius *ἀπόδοσις* incipit a *Carthaginienses responderunt*, quis hanc interceptam ab illa maiore interpunctione patiatur? Sed huius generis plura olim legebantur corrupta, nunc industria editorum correcta *). Nam, ut hoc recte curetur, aliud tamen

*) Monuit de hac re iam edit. Goetting. Similis et bona correctio est DOERINGII XXI, 6.

men manet idque inveteratum vitium, *nec* HIS *debere impune esse.* Quo enim referas hanc vocem? Vtrum ad Philippum et Antiochum, ut his ab ira Carthaginiensium Romani quasi ex longinquo minentur? An ad nuncios? ut *ne nunciis quidem debere rem impune esse* dixerint, sc. quod innoxii culpa aliena, forsitan coacti, domini mandata pertulerant? Prior explicandi ratio vix serio cuiquam in mentem veniat; altera, quae olim SIGONIO placuit, satis nunc explosa, neminem magnopere delectarit. Vt mirari lubeat GRONOVIUM P. coniecisse *nec id his d. imp.*, quod difficultatem loci ne tangit quidem. An fugiebat v. d. *impune* eleganter poni casu rei e proximis intellecto? XL, 9. *Si insidiantibus sit impune.* IV, 40. *Quia illis impune fuerit.* Terent. Eun. V, 2, 13. *Credin' te impune habiturum* etc. Longius abiit altera coniectura *Nec Poenis debere impune esse,* DUKERUS *Nec civibus,* CLERICUS et CREVIERIUS *Nec id debere impune esse* coniicientes: post quae, desperata salute, DRAKENBORCHIUS locum fractum atque lacerum pronuntiat. Iam vide, quantillum sit vitium, quod deluserit tot et doctrina et divinandi vi praestantes viros! Scribe:

> *Haud quieturum ante quam bellum toto orbe terrarum concisset: nec* BIS *debere impune esse, si satisfacere C. vellent* etc.

Quod ad Hannibalem ipsum, cui dudum exsilium machinabantur Romani, referendum. Vt plane,

sine casu et pronominis et personae, habes loquendi genus apud CICERONEM pro Mil. 12. *Num quid igitur aliud in iudicium venit, nisi uter utri insidias fecerit? Profecto nihil. Si hic illi; ut ne sit impune: si ille huic; tum nos scelere solvemur. Nec* autem -— qua particula ad connectenda membra non potest carere oratio — esse *et non*, ad quod intelligendum sit *exposuissent*, post tot criticorum admonitiones notare nil attinet.

Non fuit irritum Romanorum consilium. Expulsus Carthagine Hannibal cum ad Antiochum profugisset, summa tum ope bellum adversus Romanos parantem, nihil impensius ei suasit, quam ut Carthaginiensium animos ad rebellandum compelleret. Ceterum literas scribere non ausus, Aristonem quendam Tyrium clam mandatis Carthaginem mittit; quem non prius amici quam inimici Hannibalis, qua de causa venisset, cognovere XXXIV, 61.

Et primo in circulis conviviisque celebrata sermonibus res est; deinde in senatu quidam: „Nihil actum esse", dicere, „exilio Hannibalis, „si absens quoque novas moliri res, sollicitan„doque animos hominum turbare statum civi„tatis possit. Aristonem quendam Tyrium ad„venam, instructum mandatis ab Hannibale et „ab Antiocho rege venisse: certos homines „quotidie cum eo secreta colloquia serere, et

„*in occulto* COLLOQVI; *quod mox in omnium*
„*perniciem erupturum esset*".

Etiam in his, quis Livianum colorem agnoscat? Sane non miramur, gravioris corruptelae suspicionem tetigisse DUKERI animum. Sed delere cum eo verba, quae inepta antedictorum repetitione offendunt, cum emendare liceat, cui persuaserit vir doctus? Aut cui placeat DRAKENBORCHII distinctio *et in occulto colloqui, quae mox eruptura essent*, quae occultat, non sanat vitium? Hoc ipsum *eruptura* v. d., si elegantis meminisset veterum artificii in praemuniendis translationibus, ad aliud plane ducere debuit. Scribe:

Aristonem quendam Tyrium advenam instructum mandatis ab Hannibale venisse: certos homines quotidie cum eo secreta colloquia serere; et in occulto COQVI, *quod mox in omnium perniciem erupturum esset.*

Coquere rem i. e. clam moliri, parare, propria Livii loquendi ratio, bis occurrit III, 36. *Instructi consiliis, quae clam ab aliis coquebant.* VIII, 3. *Principes occulte Romanum coquebant bellum.* Tertio loco restitui iubent DUKERUS et DRAKENBORCH. XL, 12. *Illic ante omnia clandestina cocta sunt consilia.* Vulgo *concocta*: de cuius veritate adhuc cogitandum arbitramur. Quid? si intellexerat consilia *communiter cocta*, ut ea notio est in compositis *coire, convenire*, aliis? *) Ce-

*) Idem sensit edit. Gothanus.

terum non assentiamur ERNESTIO in Gloss. Liv. comparanti Polybianum *συγχέειν πόλεμον*. Id potius est *confundere, miscere bellum*. (*Confundere proelia* HORAT. I. Od. XVII, 23. *miscere tumultus* LIV. VIII, 32.) Nec simile, sed ab alia re translatum est *conflare bellum*, quod comparat SCHNEIDERUS V. C. Si quis autem in illo *coquere* Patavinum quiddam, et abhorrens ab urbanitate Romana agnoscat, is meminerit, voce, e Livio adsumpta, crebro uti SILIUM (VIII, 403. X, 429. XVI, 3.) ea aetate, qua plurima essent et in LIVIO et in CICERONE, quae sorderent auribus illorum hominum. Quae communis sors est omnium, qui vernaculis linguis utantur.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Loca plura e postremis libris emendata. Sicubi etiam de tempore dicitur. Inscriptio in tabula versibus Saturniis inclusa. Item oraculum Delphicum. Vt pro quod. Numerus depugnantium in muneribus gladiatoriis. Dicit omissum, praegressa coniunctione. Intromittere praesidia. Non tam, non tantum non sequente quam, quantum. Desperatus locus ἀνακολούθῳ restituto corrigitur. Adversa clades an tribui possit Livio. Macedonia Catonis Censorii sententia divisa etc.

Proferenda nobis restant aliqua ex postremis quinque libris, qui criticam diligentiam omnium maxime efflagitant; quippe ex uno tantum codice (quondam Monasterii Laurisheimensis, nunc Vindobonensis Bibliothecae κειμηλίῳ) neque eo satis integro servati. Ex hoc MSto, difficillimo ad legendum, quippe literis, quas vocant, maiusculis nullaque vocum distinctione exarato *), pri-

*) Adiecimus exemplum scripturae, quae alibi, quantum sciam, non exstat, in tabula aenea adiuncta in fine. Debetur id benevolentiae Copitarii V. C., a quo nobis impetravit Wolfius.

mus hos libros evulgavit pari solertia et doctrina Sigism. Gelenius. Post cuius viri curam etsi non desunt, quae nova ex eo codice proferri possint ab eo, qui, quid quaerendum sit, sciat, singulosque literarum apices curiosius rimetur; tamen in gravioribus corruptelis, etiam hic, omnis res ad acumen criticum redit, et, ut in eo subsistendum sit, in quo „inexplicatae probabili„tati minimus locus relinquatur". Quare tantum abest ut divinandi arti occasio et opportunitas desit in his libris, ut, si quid profuerit prioribus libris industria nostra, etiam in his aliquid spondere audeamus.

Quo tempore bellum a Perseo Romanis imminens iam in eo esset ut erumperet, cum aliarum civitatum, tum maxime Achaeorum, qui finibus suis interdixerant Macedonibus, gratiam rex inire studuit. Idquod sic agere instituit. Comprehensis fugitivis, quibus receptaculum fuerat Macedonia, dono eos Achaeis mitti iussit, admonerique hos, quemadmodum eo munere in posterum non egerent, cogitandum et ipsis esse. Accepta benigne regis munificentia; mox tamen gravi Callicratis *)

*) C. 28. *Literas ad nos*, inquit, *cum muneris specie misit; et cogitare iubet, quomodo in reliquum hoc munere non egeamus, h. e, ut decretum quo arceantur Peloponneso Macedones tollamus: rursus legatos regios, et hospitia cum principibus, et mox Macedonum exercitus, ipsum quo-*

(ex partibus Romanorum) oratione suspecta reddita et explosa. Cui ita respondet Archo, frater Xenarchi, ut bellum inter Macedonas Romanosque rumoribus divulgatum dubium esse an erumpat, dicat; porro, cur sibi omnium solis bellum adversus Macedonas gerendum sit, causam non apparere profiteatur, XLI, 29.

> *Opportuni*, inquit, *propinquitate ipsa Macedoniae sumus: an infirmissimi omnium, tamquam, quos nuper subiecit, Dolopes? Imo contra ea vel viribus nostris Deum benignitate, vel regionis intervallo tuti. Sed* SUMUS *aeque* s u b i e c t i *ac Thessali Aetolique*; *nihilo plus fidei auctoritatisque habemus adversus Romanos, qui semper socii atque amici fuimus, quam Aetoli, qui ante hostes. Quod Aetolis, quod Thessalis, quod Epirotis, omni denique Graeciae cum Macedonibus iuris est, idem et nobis sit. Cur exsecrabilis ista nobis solis velut* d e s e r t i o *iuris humani est.*

Haec verba ita nunc et prava distinctione, et unius vocis corruptela laborant, ut nondum viderimus, qui sensum aliquo modo percepisset, neminem quidem, qui, quae divinando perceperat, scripto consignarit. Ac primo etsi leviter, ta-

---

que a Delphis (quantum enim interluit fretum?) traiicientem in Peloponnesum videamus, immisceamur Macedonibus armantibus adversus Romanos.

men peccatur in his: *Opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus.* Quippe haec verba cum interrogandi signo apposito ita efferenda essent, ut id, de quo dubitare videretur, gravius negaret, nunc ita efferuntur, quasi vere dicere voluerit *se Macedoniae opportune positos esse.* Quo nihil est absurdius. Sequitur enim: *Imo potius vel viribus vel intervallo tuti sumus.* Gravius alterum est vitium: *Sed sumus aeque subiecti ac Thessali Aetolique.* Quocumque haec sensu sumas, sive relata voce *subiecti* ad regionem, sive accepta de imperio, si sententiâ loquentis dicta accipiuntur, sensu carent. Quis tandem serio contendisset, aeque ut Aetolos Thessalosque Macedoniae subiectos esse Achaeos, et a maritima parte tutos, et a continenti, a Macedonibus? Aut quî imperio Macedonum obnoxii dici potuerunt, quorum nunc amicitiam ambiret Perseus? Senserunt interpretes. Inde nata Crevierii correctio: *Sed sumus aeque suspecti ac Thessali Aetolique,* nimirum Macedonibus. Aliter Gronovius; cui importuna visa *Aetolorum* mentio; unde scribendum coniiciebat vel *Dolopes* vel *Epirotae;* quibus nuper accesserunt *Boeoti,* spretis Acarnanibus, Athamanibus *) aliisque. Fugit optimos viros his ip-

*) Quos qui commendare vellet, gravem haberet sententiae stipulatorem Polybium E. L. VI. p. 1098. Gron. ubi Amynander dicit *εἶναι γὰρ εὐχειρώτους Ἀθαμᾶνας ἀεὶ Μακεδόσι διά τε τὴν ἀσθένειαν καὶ γειτνίασιν τῆς χώρας!*

sis verbis expressum schema Ἐπιτροπῆς (Rut. Lup. II, 17. p. 130. Quint. IX, 2. p. 774.). Cuius obliteratae vestigia quo restaurentur, non plus unius literulae mutatione opus est: *Sed simus aeque subiecti* (Macedoniae) *ac Thessali Aetolique.* „Concedam tantisper aeque nobis a pro„pinquitate Macedoniae timendum esse, ac Thes„salis Aetolisque". Iam hac emendatione adiuti non erit, quod de sensu extremorum verborum laboremus. Quae cum inscitissime accipiantur, „nihilo plus sibi auxilium apud Romanos esse, „etsi semper amici eorum fuerint, quam ceteris, „qui inimici fuerint"; ex his interrogandi signo adiecto plane contrarium elicimus sensum: „ulti„mum tamen sibi esse apud Romanos auxilium, „tantoque iustius, quanto constantiorem amicitiam „eis praestiterint". Quare totus locus sic restituendus:

> *Cur quidem nos inexpiabile omnium soli bellum adversus regnum Macedonum geramus, non video. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus? an infirmissimi omnium, tamquam, quos nuper subiecit, Dolopes? Imo contra ea vel viribus nostris, Deum benignitate, vel regionis intervallo tuti. Sed* SIMUS *aeque subiecti ac Thessali Aetolique! Nihilo plus fidei auctoritatisque habemus adversus Romanos, qui semper socii atque amici fuimus, quam Aetoli qui paullo ante hostes fuerunt?*

Quod Aetolis, quod Thessalis, quod Epirotis, omni denique Graeciae cum Macedonibus iuris est, idem et nobis sit: cur exsecrabilis ista nobis solis velut desertio iuris humani est?

Quae si quis in angustias logicae artis sibi compingi velit, quia fuerunt, qui, nihil de depravatione suspicantes, logicum tantummodo sententiarum ordinem desiderarent, ita efferri licebit. „Cur om„nium soli nos inexpiabile adversus Macedonas „bellum geramus, non video. Primum non ita „propinqui sumus Macedoniae, ut assiduo ab ho„ste timore arma tenenda sint; deinde, si quid„quam timendum sit, non ita infirmi tamquam, „quos nuper subiecit, Dolopes. Denique si con„cedamus tantisper, aeque nobis, Macedoniae sub„iectis, ac Thessalis Aetolisque metuendum esse, „ultimum patet ad Romanos refugium, qui sem„per Romanorum amici nec umquam ut Aetoli „hostes fuimus". Restat ut ad singula loca nonnihil adnotationis adiiciamus. *Contra ea* ne quis Gronovio assentiens mutandum censeat, et alibi (XLIV, 43.) occurrit, et apud Sallustium. v. Heusing. ad Nep. p. 167. et 200. Saepius et falso in eo haesit Gronovius. *Adversus* idem est, quod apud. XXII, 39. *Nec gloriandi tempus adversus unum* (coram uno) *est; et ego contemnendo potius quam appetendo gloriam modum excesserim.* Qui locus, si quis alius, sanus, quot falsas nuper expertus est explicationes! Festus: *Adversus*

aut contrarium (l. *contra, in) significat, aut idem quod erga.* v. Drak. ad V, 35. *Desertio* metaphorica significatione, ne ἅπαξ λεγομένοις adscribatur, iterum occurrit, nisi fallor, in secunda decade. Ut non audiendum putem, si quis e Festo *dissortio* coniiciat. Festus: *Disertiones, divisiones patrimoniorum inter consortes.* Ad quem locum eximie Io. Scaliger: „Ἀρχαϊσμός pro *dis-* „*sortiones. Apello, Apollo.* Glossarium: *Dissortes* „διακληρωθέντες. Est et *Dissortium* διαχωρισμός, „διάστασις". et his et tot aliis locis salivam movens ineditorum Glossographorum in bibliotheca Leidensi. Nam in usu fuisse optimis scriptoribus *dissortio,* et *dissortium,* cuius auctoritatem frustra quaeras, si non fides haberi debeat Glossario, vel demonstret Livii *consortio,* et *consortium* *).

Celtiberis exorsis bellum subita oppugnatione castrorum Romanorum, Ap. Claudius contra hostem duxit, XLI, 31: *Obsistentibus ad exitum Celtiberis primo par utrimque proelium fuit; quia propter angustias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani: urgentes deinde alii alios secu-*

*) Thucydidis ξυντυχία I, 32. ubi id verbum fefellit interpretem latinum, sicut plurima, ne dicam omnia, eum fefellerunt, quorum prompta et facilis erat explicatio e Sallustii, Livii, Taciti oratione.

TI *evaserunt extra vallum; ut pandere aciem et exaequari cornibus* HOSTIBVS, *quibus circumibantur, possent; ita repente* ERVPERVNT, *ut sustinere impetum eorum Celtiberi nequirent.* Nemini, opinor, hoc placebit *secuti;* quae ignava vox est post *urgentes.* Sed non ab una hac parte laborat locus. Disiunctum *ita* a suo *repente,* cui libenter adhaerescit, v. CAES. de B. G. I, 52. TAC. Agr. c. 18. LIV. XXVII, 8. et concisi numeri cui placeant? Flagitat sententia suspensam orationem, donec cum illis *ita repente* ad exitum properet. Sensum restituimus, dum literarum vestigia presse sequimur, scribentes:

> *Urgentes deinde alii alios* SICVBI *evaserunt extra vallum, ut pandere aciem et exaequari cornibus* h o s t i l i b u s, *quibus circumibantur, possent, ita repente* IRRVPERVNT, *ut impetum* etc.

Meminerimus consulem tribus simul castrorum portis copias instructas in hostem eduxisse, quo referendum *si qua parte.* XLII, 50. *Vnum esse Macedoniae regnum... quod,* s i c u b i *Pop. Romano sua fortuna labet, antiquos animos regibus videatur posse facere.* III, 63. *Consul providere omnia, laudare fortes, increpare,* s i c u b i *segnior pugna esset.* SALLUST. *Iug.* c. 56. Tell. *Ac* s i c u b i *audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii hortari* etc. Sic recte scripsit TELLERUS; vulgo *sicuti.* Etsi nolim, ut vulgo, ad unum locum

referri voculam, cui neque ab origine sua neque ab usu veterum quid obstat, quo minus referatur ad tempus. TERENT. Eun. III, 1, 13. *Tum sicubi eum satias hominum, aut negoti si quando odium ceperat* etc. *Hostilibus* de DRAKENB. coniectura scripsimus, leniore illa quam GRONOVII *hostium*, etsi de utrâque nonnihil dubitamus; *irruperunt* de nostra. Ita XLV, 26. *Antinous et Theodotus in primam stationem hostium irruperunt.* Displicet GRONOVII *irruerunt*, sed maxime omnium, quod coniecit, *urgentes alii alios seque, ubi.* Ceterum, quod coniecit CREVIERIUS *urgentes deinde alii alios scutis*, id, non aliis, sed DRAKENBORCHIO placere potuisse miramur. Non meminerat scutis uti milites contra hostem, nequaquam contra semet ipsos. Vid. IX, 41. etc.

Eodem libro c. 33. legitur: *Eodem anno tabula in aedem Matris Matutae cum indice hoc posita est: „Ti. Sempronii Gracchi consulis imperio „auspicioque legio exercitusque populi Rom. Sar- „diniam subegit. In ea provincia hostium caesa „aut capta supra octingenta millia. Republica fe- „licissime gesta atque liberatis vectigalibus * resti- „tutis exercitum salvum atque incolumen plenissi- „mum praeda domum reportavit. Iterum trium- „phans in urbem Romam rediit. Cuius rei ergo „hanc tabulam donum Iovi dedit".* Corrupta haec verba variis coniecturis exercuerunt vv. dd. Con-

iecit Reinesius *Proconsulis;* quoniam perscripta in tabula inchoata sint consulatu Sempronii a. u. DLXXVI, perfecta a. u. DLXXVIII eiusdem proconsulatu; Gronovius P. excidisse suspicatus est, quo loco conspicitur asteriscus, *εὐστόχως sociis* vel simile verbum: Dukerus denique dubitavit acute, ut solet, de loquendi genere *liberare vectigalia*, cuius loco minus insolens idque vere credit *vectigalia restituere.* Quibus coniecturis quantum tribuendum sit, clarius intelligetur in metra revocatis verbis, quibus inclusa antiquitus in tabula lecta fuisse, nobis persuasissimum est. Scripta nimirum est etiam haec inscriptio, more seculi illius, ut a Liv. XL, 52. servata in tabula Regilli, et quae a Grammaticis *) memoratur Acilii Glabrionis, versibus Saturniis: nec maiore opera illis redintegrandis, quam quorum exemplum in tabula Regilli dedit praeclarus artis metricae instaurator Godofr. Hermannus de Metris III. p. 411. Legimus:

Tiberí SempronI Grácci Cónsulis éndopério,
Auspícioque legió exércitusque pópuli
Románi Sardiniám subégit. In éa província

---

*) Atilius Fortunat. p. 2679. Putsch. *Apud nostros autem in tabulis antiquis, quas triumphaturi duces in Capitolio figebant victoriaeque suae titulum Saturniis versibus prosequebantur, talia reperi exempla* etc. V. Herm. l. c.

Hostium caesa aut capta supra octoginta milia.
República Populi Romani felicissume
Gesta atque liberatis sociis, restitutis
Vectigalibus, exércitum salvom atque incolumen
Plenissimomque praéda..! domum deportávit.
Iterum triumphans éndo urbem Romam rédiit.
Cuius reii ergo hanc tábulam dónŭm Iovi di-
cávit.

Nunc mutationum, quas fecimus, singulatim rationem reddamus. V. 1. scripsimus *Ti. Semproni Gracci*: ita plane cod. Vindobonens. etiam aliis locis antiquam servans scribendi rationem v. g. v. 4. *milia* v. 7. *salvom*: eodem v. dedimus *endoperio*, ut v. 9. *endo*, metro postulante. Maiores emendanti difficultates obiiciebat v. 5., verbis *Rep. felicissime gesta* prorsus metro repugnantibus. Quare remedium a divinandi arte petentes audacter scripsimus:

República populi Romani felicissume.

Excidit post *Rep.* (ita cod. Vindob.) *P. R.* sive *p. r.* De antiqua formula *respublica Pop. Romani*, saepe obliterata incuria librariorum, satis dixerunt Gronov. Observ. IV, 14. et D. Ruhnk. ad Vell. II, 16. V. 6. adsumpsimus, quod excidisse suspicatus erat Gronovius, et sensu et metro flagitante *sociis*; denique nemo haerebit in *vectigalibus liberatis*. Traiecta voce coniunguntur *liberare socios, restituere vectigalia*. V. 8. scripsimus *Plenissimumque praeda*, copulam elapsam

ob similitudinem seq. *p.* revocantes; quam alieno loco exhibebat cod. Vindob. v. 7. *exercitum salvomque atque* etc. Eodem versu etsi scribi poterat *Romam deportavit* vel *indé domum deportávit*, tamen, ut in ancipiti re, incertum relinqui maluimus quid exciderit. At *deportavit* legitimo de ea re verbo, v. Dux. ad XXXVIII, 50., ipse utitur Liv. XLI, 21. neque *repportavit*; ut *redducem*, *repperit* aliaque eius generis, scribendum iudicavimus. V. 9. habet cod. *redit*, ut pronunciandum est *rediit*. V. 10. scripsimus per ectasin *reii* metro postulante, et *dicavit* pro *dedit*, quae verba, per sigla scripta, nullo discrimine legi in tabulis et monumentis antiquis neminem fugit. Ceterum quae in fine ityphallici leguntur, ea antiquo more contrahenda esse, ne dactylus in extrema sede sit, vix opus est monere eum, qui Plautinis versibus tritas aures afferat.

Alium huic addamus locum, non corruptum quidem, sed in quo tamen desit quiddam ad sensum penitus intelligendum. Oraculum legitur Lib. V, 16. a Delphis Romam allatum: *Romane, aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare manare suo flumine sinas: emissam* (codd. *manu missam*) *per agros rigabis, dissipatamque rivis exstingues. Tum tu insiste audax hostium muris, memor, quam per tot annos obsides urbem, ex ea tibi his, quae nunc panduntur fatis, victoriam datam.*

datam. Bello perfecto donum amplum ad mea victor templa portato, sacraque patria, quorum omissa cura est, instaurata, ut adsolet, facito. Facile in his sentitur χνοῦς ἀρχαιοπινής, non Graeciae, sed Latii veteris proprium peculiareque ingenium prodens. Quid enim mirum, si a Delphis allatum responsum carmine hexametro, celebratumque hominum sermonibus, ita paullatim formam mutaret, ut soli, in quo natum erat, ingenium exueret? Plus sibi indulserunt, qui hac id forma ad posteros propagarunt. Etiam numeros suos ei induerunt. Quod factum esse probabiliter colligas eo tempore, quo vates Marcius *) viguit, et Fabius, Cincius Alimentus, Aciliusque floruerunt, et nondum conticuerat Ennii carminibus obscuratus versus Saturnius. Quippe in hoc oraculo ita numeri Saturnii sese auribus ingerunt, ut neminem fallere possint semel admonitum. Iuvat suspicionem nostram codd. varietas. Ita quondam lecta et recitata fuisse coniecimus, quae Livius solutis versibus servavit:

Románe aquam Albanám cavé lacu continéri,
Cave ín mare manaré suo flúmine sinas: missam

*) V. Dukerus ad XXV, 12. qui tamen nondum uti potuit, quo augeret notitiam hominis, iis quae habent Heusingeri *Apospasm. scriptorum aliquot veterum* p. 95. *Praecepta primus apud Latinos Marcius vates composuit. Ex quibus est illud: Postremo loquaris, primus taceas.*

Manú per agros rigábis, díssipatamque rivis
Exstíngues! Tum tu insíste audáx, memor, ho-
stiúm múris,
Quam pér tot annos úrbem obsídis, ea ex ti-
bi his,
Quae núnc panduntur fátis, víctoriam datam
esse.
Belló perfecto dónum amplum ád mea victor
témpla
Portáto, sacraque pátria, quórum omissa cú-
ra est,
Vt ádsolet, instaurata cúrato facitoque.

V. 2. scripsimus e MSS. *missam manu*, ne opus esset traiicere voces. V. 3. etsi occurrebat Lucretianum *disque supatam*; tamen servavimus vulgatum prima syllaba correpta. Cetera quae mutavimus, indicata sunt.

Libro XLI, 33. legitur: *Munera gladiatorum eo anno aliquot, parva alia data: unum ante cetera insigne fuit T. Flaminini, quod mortis causa patris sui cum visceratione epuloque et ludis scenicis quatriduum dedit. Magni* TAMEN *muneris ea summa fuit, ut per triduum quatuor et septuaginta homines depugnarint.* „Non intelligo", inquit Dukerus, „quam *summam magni muneris* di„cat. Credo corruptum esse *summa.* Sententia „forsitan fuit *magnum muneris eius sumptum fuis„se*". Decepit praestantissimum virum coniun-

ctio *ut*, quam consilium exprimere putarat, cum esset explicandi causa posita. Sic saepius Livius: XL, 12. *Vis hanc formulam cognitionis esse, ut, uter timuerit, ne alter dignior videretur regno, is consilium opprimendi fratris cepisse iudicetur?* XXX, 30. *Hoc quoque ludibrium ediderit casus, ut, cum patre tuo consule ceperim arma, ad filium eius inermis ad pacem petendam veniam.* XXXIV, 9. *Aderat forte tempus anni, ut in areis frumentum haberent.* XLI, 23. *Hiems erat, et id anni tempus elegerant, ut Thraces in fines suos abirent.* Ex his autem apparet *eam summam* referri ad numerum hominum, qui depugnarant; et corruptelam esse non in *summa*, sed in *tamen*, quod nullam habet ad sensum relationem. Scribe:

> *Magni* TUM *muneris ea summa fuit, ut per triduum quatuor et septuaginta homines depugnarint.*

Hoc voluit: Magni muneris speciem praeferebat illa aetate, quod per triduum quatuor et septuaginta homines depugnarant. Particulas *tum* et *tamen* compendiaria scribendi ratione $\overline{tm}$ et $\overline{tn}$ centies permutari, post alios notat D. Ruhnkenius ad Vell. p. 183. Respicit autem saepius Livius aetatem suam moribus antiquitatis describendis, v. c. XLIV, 9, 4. *Mos erat tum nondum hac effusione inducta bestiis omnium gentium circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera* etc. V, 13. *Duumviri sacris faciendis....*

per dies octo Apollinem Latonamque et Dianam quam amplissime tum apparari poterat stratis lectis placare. II, 7. *Collegae funus quanto tum potuit apparatu fecit* etc. Cur autem *magni muneris* summa numerus visus sit septuaginta hominum? Lib. XXIII, 30. legimus A. V. C. 537. *M. Aemilio Lepido filios tres, Lucium, Marcum, et Quintum ludos funebres per triduum, et gladiatorum paria duo et viginti per triduum in foro dedisse.* L. XXXI, 50. A. V. C. 553. *Ludos funebres per quatriduum in foro mortis M. Valerii Laevini causa a P. et M. filiis factos: et munus gladiatorium datum ab iis; paria quinque et viginti pugnasse* *). Hâc ut maior appareat summa h. l. nominata (A. V. C. 579.) *quatuor et septuaginta hominum,* ita vilis haec censebitur ad numeros Livii aetate comparata, qua dudum centum et amplius paria (v. Hor. II. Serm. 3, 55.) dari consueverant. Vide eruditam de ea re Lipsii disputationem; cui etsi non desunt, quae addi queant, et debeant, imprimis, quae de effusione sequentium seculorum leguntur apud Christianae religionis propugnatores, tamen, quae huc faciant, breviter complexus egregie absolvit. Vim verbi substantivi cum genitivo illustr. Gronov. Obs. IV, 8.

*) Nam qui A. V. C. 569. pugnasse dicuntur CXX. gladiatores (XXXIX, 46.) is numerus, iam suspectus Lipsio, corruptus est.

Haud leviter depravatus est sensus loci XLII, 59. Infelix describitur Romanorum cum Perseo pugna: *Nec regii sparsi iam ipsi passim sequendo cum ordinatis et certo incedentibus gradu manus conferre audebant. Quum victor equestri proelio rex parvo momento si adiuvisset debellatum esset; opportune adhortanti supervenit phalanx* etc. Miro modo secum pugnat scriptor, si sana sunt verba. Dum dicit *Quum debellatum esset si paulum adiuvisset rex,* dubium regem de successu tantae rei audendae ostendit. Cui quo tandem modo convenit adiectum *adhortanti,* quod elatum prodit regis animum, et in rem exsequendam summopere intentum? Varia moliuntur viri docti, ut vocem, pugnantem cum ceteris componant: v. c. CREVIERIUS *Adhuc stanti* corrigens; in quo id ipsum *adhuc* nonnihil offendit *). Nullus vidit illa utendum esse ad sententiae vim restituendam. Nam si ad sqq. attenderis, imprimis Evandri preces *ne elatus felicitate summam rerum in non necessariam aleam daret,* non dubitabis, quin scribendum sit:

Quum victor equestri proelio rex „Parvo

*) Solent talia apud veteres elegantius subaudiri: XLIV, 37. *Paullus ex postrema acie triarios primos subducit: deinde principes stantibus* (adhuc) *in prima acie hastatis, si quid hostis moveret.* VII, 31. *stantibus* (adhuc) *in curia legatis.* XXXII, 24. *stantia* (adhuc) *moenia.* XXII, 42. *tabernaculis stantibus.*

„momento si adiuvissent, debellatum „esse" opportune adhortanti supervenit phalanx.

Ipsius sunt adhortantis, non scriptoris, verba; Notum est orationis σχῆμα XXXVIII, 22. *Consul respirare et requiescere militem iubet, simul strata per tumulos corpora Gallorum ostentat, et, „Quum levis armatura tale proelium ediderit* etc. XL, 40. *Quam trepidationem ubi Flaccus conspexit, equo advehitur ad legionarios equites, et, Ecquid auxilii in vobis est?* Phaedr. I. Fab. 29. *Repressit iram: et, facilis vindicta est mihi*; ad quem locum v. quae contra Gisb. Cuper. Observ. II, 20. notat Burmannus in edit. mai., et Perizonius ad Sanct. Min. Minus tritus est usus omittendi verbi *inquit* praegressa coniunctione. Lib. I, 35. *Isque primus et petiisse ambitiose regnum, et orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam, quum „Se non rem novam petere: quippe qui non primus... peregrinus regnum affectet.* Ita interpungendum esse monuit Dukerus, cui, ut saepius, vanas ratiunculas opposuit Strothius. I, 48. *Quum ille ferociter ad haec „Se Patris sui tenere sedem..." clamor.. oritur.* Ceterum quod non dixit „Si paullum ad„iuvarent, debellaturos esse", eadem elegantia est, qua veteres, quae futura sunt non solum ut praesentia, sed etiam ut perfecta subiiciunt legen-

tium oculis. Exempla ex utraque lingua apud historicos ubivis suppetunt.

Lib. XLIV, 11. legimus: *Erant in praesidio Cassandreae praeter non contemnendam iuventutem oppidanorum octingenti Agrianes, et duo millia Penestarum Illyriorum a Pleurato* INDE MISSI. Vidit alienum sensum, quem fundit hoc *inde missi*, I. F. GRONOVIUS. Flagitat sententia *eo missi.* Corrigit *eodem missi.* Cuius sensum probaremus, si modo antea ab aliquo Cassandream missos milites, aut factum aliquid eo pertinens relatum esset. (XXVII, 3.) Nam iuventutem Cassandream missam, nemo dixerit. Idem de CREVIERII correctione iudicandum *deinde missi*, quod nec ipsum habet, quo commode referatur. Fugit optimos viros, quod maxime in promptu positum, a vestigiis literarum et a Livii scribendi genere minime abhorreat. Lege: *Erant in praesidio Cassandreae praeter non contemnendam iuventutem oppidanorum octingenti Agrianes et duo millia Penestarum Illyriorum a Pleurato* INTROMISSI, *bellicosum utrumque genus.* Verbo Plauto frequentato saepe utitur LIVIUS. Adde ad loca ab ERNESTIO exsignata, XXXI, 26, 5. *Tentata et ab ipso rege oppugnatio eius castelli est: sed naves Rom....* ***intromissumque*** *praesidium absistere... coegerunt.* IX, 13. *Et obsessis... commeatus ex montibus Samnitium invecti erant et auxi-*

lia intromissa. XXXVIII, 4, 6. *Ea omnia vallo ita iungere parat, ne exitus inclusis ab urbe, neve aditus foris ad auxilia* intromittenda *esset.* XLII, 36. *Legati ab Perseo venerunt; eos in urbem* intromitti *non placuit.* XXXVIII, 5, 6. *Inde Nicander.. Nicodamum quendam cum Aetolis quingentis Ambraciam* intromittit etc.

Difficillimus est locus Lib. XLIV, 25. *Eumenes neque favit victoriae Persei, neque bello eum invadere animo habuit: non tam quia paternae inter eos inimicitiae erant,* QVAM *ipsorum odiis inter se accensae. Non ea regum aemulatio ut aequo animo Persea tantas adipisci opes tantamque gloriam, quanta Romanis victis eum manebat, Eumenes visurus fuerit.* Obscuram huius loci sententiam insigni acumine explanavit Dukerus. Reddit Livius inde a verbis *Non tam.... fuerit* causas, cur Eumenes non faverit victoriae Persei. Quae deinceps sequuntur explicant, cur bello tamen Perseum invadere animo non habuerit. Denique in prioribus voluit: „infestum fuisse Eu„menem Persei victoriae" (quae Romanorum opes fregisse videbatur) „non tam propter pater„nas, sive ipsorum potius inter se odiis accen„sas inimicitias, quam propter aemulationem „quae Eumenis animo haud dum levis exarse„rat". Iam in hac sententiarum coniunctione cum omnem sensus vim enervet comparandi particula

quam, eam corrigendi rationem proposuit DUKERUS: *Non tam quia paternae inter eos inimicitiae erant*, ETIAM *ipsorum odiis inter se accensae*, QUAM *ea regum aemulatio* etc. Quae correctio, in tanta mutandi licentia, quomodo placeat?

Non sequitur particulas *non tam, non tantum*, id ubivis, quod vulgaris grammatica suadet. Saepe suspensa oratio, si media aliquis interiicitur sententia vel ad corrigenda, vel ad amplificanda ante dicta, ad ultimum ἀνακόλουθος exit. Simillimum habeo locum XXXVIII, 21. *Sed non tam patentibus plagis Galli moventur: interdum insecta cute... etiam gloriosius se pugnare putant. Iidem quum aculeus sagittae aut glandis abditae introrsus tenui vulnere in speciem urit... tum in rabiem versi prosternunt corpora humi, sic ut passim procumberent.* (Anne *procumbant?* Potius: *sicut passim procumberent* i. e. quasi huc, illuc procumbere vellent). Legitima constructio fuit: „Sed non tam patentibus plagis „(Galli) moventur, quam tenui in speciem vul„nere, ubi aculeus sagittae aut glandis abditae „introrsus urit" etc. Mutandae constructionis occasionem attulerunt interiecta *interdum insecta cute gloriosius* etc. Iam relicta inchoata constructione ἀνακόλουθος est oratio. Similis est locus X, 14, 18. *Clamor sublatus non vero tantum metu terruit Samnitium animos...* (Quid exspectas?... nimirum: *quantum... sed etiam.* At se-

quitur) *nam et Fabius Decium collegam appropinquare exclamavit, et pro se quisque* etc. Hinc plures aliae fluxere struendi rationes, durae nostro elegantiae sensui, a LIVIO paene studiose quaesitae. VI, 8. *Nec vis tantum militum movebat excitata praesentia ducis, sed quod Volscorum animis nihil terribilius erat, quam ipsius Camilli forte oblata species.* Ne porro haereamus in loquendi ratione, quae nuper Gothano editori fraudi fuit, iterum LIVIUS XXVI, 46. *Nec altitudine tantum moenium impediebantur, sed quod euntes ad ancipites utrimque ictus subiectos habebant Romanos.* XXXII, 4. *Nec altitudine solum tuta urbs, sed quod.. rupibus imposita est* etc.

Iam ex his locis si facile liceat universi generis *τύπον* animo informare, quidni Livius, etsi *ἀνακολούθως*, tamen Latine ita conceperit sententiam? „Eumenes neque favit victoriae Persei etc.: „non tam quia paternae inter eos erant inimici„tiae, sive ut verius dicam, ipsorum odiis accen„sae: tanta inter reges erat aemulatio, ut haud „aequo animo Eumenes Persea tantas adipisci „opes visurus fuerit". Hunc autem sensum, aptum, opinor, et perspicuum, quali elicias mutatione ex corruptis verbis, quaeris? Vna vocula QUAM, quae inepto loco comparationem orditur, mutata in QUIN. Scribendum: *Eumenes neque favit victoriae Persei neque bello eum invadere animo habuit: non tam quia paternae inter eos inimicitiae*

erant, QUIN *ipsorum odiis inter se accensae*: *non ea regum aemulatio* (erat), *ut aequo animo Persea tantas adipisci opes tantamque gloriam, quanta Romanis victis eum manebat, Eumenes visurus fuerit. Sed cern.* etc. Erunt fortasse qui scriptum malint: *Nunc ea regum aemulatio, ut* etc. non ii, qui vi percepta pronominis legitimo id sono extulerint. Nam *non ea erat* est *non ita levis erat*, ut XXIV, 8. *Non ea vestra in me maioresque meos merita sunt, ut non potiorem privatis necessitudinibus rempublicam habeam.* Et ita *is*, *talis*, *tantus*, *quantus*, modo ad augendum modo ad minuendum adhiberi saepius iam notatum est. De *quantum* v. ERNESTIUS ad Tac. Agr. 15.

Inter multas regum gentiumque legationes Romam venientes finito bello cum Perseo, maxime omnium convertit in se oculos Attalus, XLV, 19. *Adduxerant eum duae in speciem honestae res: una gratulatio, conveniens in ea victoria, quam ipse adiuvisset; tum querimonia Gallici tumultus*, ADVERTAEQUE GLADIIS *regnum suum prope in dubium adductum esse.* Pulchre DRAKENBORCHIUS in corruptis verbis *cladem* latere suspicatus est. Sed ille coniecit *Solvettii cladibus*, nihil curans *Solvettii clades* an dici possint clades a Solvettio illatae: de quo nobis secus videtur. Quod speciose nuper ex *advertae* eruit vir doctus *adversae*, vereor, ne magis SENECAE,

quam Livii prodat ingenium. Illi venia sit *iniquas, adversas* aliasque eiusmodi clades lectori obtrudenti. Ceterum etiam is scribebat *adversis cladibus regnum suum prope in dubium adductum esse;* quasi hoc necessarium sit. Finge scriptum ACCEPTAEQUE CLADIS (quod quidem Livianum), iam cetera nulla mutatione ita constituere licebit:

> *Adduxerant eum duae in speciem honestae res: una gratulatio, conveniens in ea victoria quam ipse adiuvisset, tum querimonia Gallici tumultus* ACCEPTAEQUE CLADIS: *„regnum suum „prope in dubium adductum esse".*

E querimonia assume *dicebat.* Vt II, 28. *Correpti consules quum, quid ergo se facere vellent, percunctarentur, decernunt* (Patres) *ut delectum quam acerrimum habeant; „otio lascivire ple„bem".* X, 22. *Fabii oratio fuit qualis biennio ante: deinde, ut vincebatur consensu, versa postremo ad collegam P. Decium poscendum: „id „senectuti suae adminiculum fore".* III, 38, 4. etc.

Inquinatissimus facile libri XLV. locus est c. 30. *Divisae itaque Macedoniae partium usibus separatis.* QUANTA *universos* TENEAT *Macedonas formula* DICTA, *quum leges quoque se daturum ostendisset.* In his verbis etsi liberum est emendanti iudicare, quid sententiarum nexui con-

veniat, tamen sequamur, quasi vetus scriptura esset, GRONOVIANAM correctionem in ponderandis emendationis causis momentisque. Coniecit GRONOVIUS: *QUAE universos TENERET Macedonas formula dicta, quum leges quoque se daturum ostendisset.*

Iam formulam, quae memoratur, quamvis ambigua ea vox sit *), nemo tamen, opinor, talem intelliget, quae disiunctas divulsasque Macedoniae partes praescripto legum quodam ordine coniungeret, et in unum quasi corpus colligeret. Nam cum divisio validi regni, Catonis Censorii sententia instituta **), vix alio spectaret, quam ut, difficili inter seiunctos dispersosque consensu, nihil inde timendum esset Romanis; omnino tali instituta divisione Macedoniae, qua sibimetipsis viderentur Macedones tamquam *animalia in artus alterum alterius indigentes auxilio distracti*; cui verisimile sit, Romanos coniungendo hos quacumque tandem *formula institutorum* voluisse suum ipsorum consilium pervertere? Relinquitur, ut *formulam legum* et *iuris*

*) v. GESNERI Th. L. L. qui optime distinxit diversas eius significationes.

**) Vicerat in senatu Catonis sententia, qui *liberos pronuntiari voluerat Macedonas, quoniam teneri non possent.* Notitiam, paucis cognitam, habet AELIUS SPARTIANUS. Sed tetigit eandem Dukerus ad XLV, 29, 4.

intelligamus, qua, licet disiunctae essent singulae partes, universi tamen Macedones in suis partibus adstringerentur. At haec *iuris formula,* qualis tandem fuerit? Si in perpetuum datam accipiemus, quo tandem modo diversam cogitabimus a *legibus,* quas paucis diebus post Paullus dedit? (Harum plures sunt qui meminerint *), cum formulae meminerit nemo.) Sin in id modo tempus datam suspicabimur, quo *leges* Macedones accepissent etc. — i. e. in paucos dies, nam legum mentio est c. 32, — cur formulam regiam, si utique necessaria visa erat formula in tam breve tempus, non voluerunt ratam esse, qua *etiamtum* universi Macedones tamquam unus populus tenebatur? Nam, utcumque ex illis difficultatibus emergas, cur nullo tandem loco, quamvis ostendisset Paullus *se novas leges daturum,* abolitae deletaeque *formulae* iuris *regiae* mentio est? Hanc quidem et ratio postulabat et consuetudo suadebat, ut abolerent, ante quam novae leges vim et auctoritatem obtinerent.

Plures enumeravimus difficultates, quae impediant Gronovianam correctionem; quarum una satis gravis erat ad revocandum ab ea. Iam cum haec coniectura nimis recedat a literarum vestigiis, quidni expromamus, quod et historia et

---

*) IUSTIN. XXXIII, 2. PLUT. Aem. P. etc.

ipsa sententiarum coniunctio flagitent? Scribendum censemus:

Divisae itaque Macedoniae partium usibus separatis. QUAE ANTEA *universos* TENEBAT *Macedonas formula* DELETA, *quum leges quoque se daturum ostendisset.*

Scripsimus *deleta.* Non quo fugeret nos proprium in ea re ABOLITA; sed in libro, ex uno MSto servato, nulla religio, quae ponderaret etiam singulas literarum apices, nimia debebat videri. Sed nondum sic locus sanatus. In MS. Vindobonensi legitur: *QuantauniversosMacedonastenditformuladicta.* Anne igitur scribendum TENUIT, ut id accipiatur ἀορίστως?

ADDENDA ET EMENDANDA.

P. 7. l. 21. ad locum Ciceronis pertinet nota: Offendit Facciolatum disiunctiva particula *aut*. Malebat: *nisi quod et rebus repetitis geratur, et denuntiatum ante sit.* Non offendisset eum, si meminisset Livii XXXVI, 3. Ex hoc loco cum appareat, rebus repetitis bella gesta esse etsi non indicta essent antea; quidni interdum indicta fuisse suspicemur non repetitis rebus? In aperta sc. iniuria, si nihil esset, quod repeteretur.

P. 8. l. 19. post *legentem ducebant* adde notam. Nimirum accepimus *finire locum* (ne quis secus intelligat verba nostra) pro *ponere fines loci;* id quod fieri solet, si castris collatis alterutra pars milites educit et copiam facit pugnae. Quae in Lexicis traditur ex uno h. l. significatio *constituere locum*, qua auctoritate nitatur, nescimus.

P. 16. l. 21. post *incolumitati* excidit *eorum.*

P. 52. l. 3. ad ὑςεραῖος: Plane sic Livius XXXVI, 39. *Ipse postero die, quam venit, senatu vocato* etc.

P. 77. l. 26. Irrepsit *pars adversa*, pro *pars altera*, ut p. 104. l. 17. *coniecturae* pro *sententiae.*

P. 101. l. 4. excidit cap. significatio 28.

P. 105.

P. 105. l. 3. post *Lucilianorum* adde: ad Rufin. p. 216.

P. 121. scribe pro c. correctionem.

P. 122. l. 14. lege: „Verba sunt Schoettgenii." Sed confer Gesnerum ad eundem locum.

P. 125. l. 3. Adde: Quodsi delere malis *exercitus*, non intercedam, si modo coniungas: *Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, plurimum v.* etc.

P. 126. l. 14. pro *accurrentium* pone *venientium.*

P. 129. l. 24. irrepsit *supra* pro *super*, et bis deinceps.

P. 137. l. 23. excidit post *amat:* de Bell. Alex.

P. 140. l. 23. adde: Et sic in antiquioribus nonnullis editt. editum est, quod recentiores, in propagandis vitiis antiquarum editt. sollertes, imitari noluerunt.

P. 151. l. 23. Verba sunt Quintiliani.

P. 152. l. 29. Post *refellere* adde. In altero fragmento mutare quidquam anceps videbatur. Satis habuimus versuum genus indicasse.

P. 159. l. Pone *delicatae.*

Ead. p. l. 21. pro „cum nuper coniectum sit" scribe „cum nuper probatum sit, quod olim coniecit Vrsinus".

P. 160. l. 12. Terentii versus e Phor. II, 3, 85. (ita lege) distingue hunc in modam:

Egone tuam expetam
Amicitiam aut te visum a. a. v.

P. 164. l. 15. excidit post *genus* maxime.

P. 175. extr. adde. Neque praetermitti debet, etiam verborum ordinem, quatenus recedit a Putschiano exemplo, eiusdem niti cod. auctoritate. Plura de eo alio loco dicemus.

P. 190. l. 21. Numerus turbatus est: nec tamen succurrit quaerenti.

P. 207. l. post *significatione* adde: vel e poetis petitae.

P. 210. l. 22. adde. Ceterum si quid rectius in his disputatum est, eius laudis pars ad *Wolfium* V. C. pertinet, cui prima explicationis origo debetur.

P. 220. l. 9. post *pervenisset* excidit *fastigium*. et 221. l. 23. adde *sententiam* post *ponimus*.

P. 237. l. scribe *ludibria* pro *figmenta*, et dele *ludentis*.

P. 243. l. 18. Eandem correctionem exstare in Crevierii editione minore Livii, nobis olim nunciavit praestantissimus Schaeferus. Nam librum hunc, etsi studiose quaesitum, nondum oculis usurpare nobis contigit.

INDEX

AUCTORUM, QUI VEL EMENDANTUR VEL ILLUSTRANTUR. *)

*) Cum hac professione nihil haberi soleat mendacius, huic nostro indici ita quodam modo cavendum duximus, ut accuratius significaremus loca, quae vel emendantur, vel explicantur. Qua simul ratione prospectum erit iis, qui usum praesentem maxime spectantes, libro secundum ordinem librorum Livii uti velint.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

Pro-

E R R A T A.

Pag. 3. lin. 28. lege εἴποι. 6, 24. ἄχρι. 10, 10. ἑκηβόλοις. 17, 4. XXXVIII, 11. XLIII, 9. 21, 2. ζῆν et ἤ. 26, 2. l. II, 53 26, 3. τερπνὸν. 33, 10. extundat. 38, 19. qui haec. 52, 13. SALLUSTIUS. 59, 5. ἀνδρῶν. 87, 11. *qua transeant.* 88, 27. σφίσιν. 91, 5. *Latina.* 93, 17. exprobrans. 100, 3. maritumis. 127, 21. item R. 133, 16. Quadruplicis. 106, 15. ἐνδιδόντων. 136, 18. ἄκραν. 166, 1. dele comma post rexisse. 185, 5 l. dissentimus. 187, 10. ἀνδράσιν. 205, 24. ἐσωματοποίει. 232, 5. ποιητικώτερον. Praetermittimus alia, v. c. relictum alicubi *Chartaginienses* et aliquoties *litterarum*, constantiae causa mutanda. Haec quae fallunt interdum etiam oculatiorum aciem, dein feriunt, condonabit is, qui meminerit, in his ne eos quidem ubique sibi constare, qui toti sunt in constantia observanda.

Specimen scripturae Cod. Vindob. memoratum p. 245.

Liv. Lib. XLII, 5.

aetolorumcausasmarcellusdel=
pisperidemtempushostilibusac=
tasanimisquasintestinogesseran=
bellocognouitcumcertatum.

Lib. XLII, 37.

- - - - - - rdecimiusmis=
susestadgentiumregemillyrio=
rumquemsialiquemrespectum=
amicitiaecumhaberecerneret=
temptaretutetiamadbellisocie=
tatemperliceretiussus. - - -

Lib. XLV, 30.

diuisaaitquaemacedoniaepartiu=
usibusseparatisquaniauniuerso=
tenditmacedonaeformuladicta=
cumlegesquoquesedaturumos=
tendissetaetoli. - - - - - -



Fuchs

